





F. LICETVS
DE
MONSTRIS.
H. Bary





FORTUNIUS LICETUS

DE

MONSTRIS.

Ex recensione

GERARDI BLASII, M. D. & P. P.

Qui Monstra quædam nova & rariora ex recentiorum scriptis addidit.

EDITIO NOVISSIMA.

Iconibus illustrata.







AMSTELODAMI,
Sumptibus ANDREÆ FRISII. cIↃ IↃ C LXV.



Nobilissimo Clarissimoque

DOMINO
D. THEODORO KERCKRINCK,

Amico ac Fautori suo summo,

ANDREAS FRISIUS

S.


Ibrum quem vides de MONSTRIS, tibi datum dicatumque imus, amicorum integerrime, ac juvenum præclarissime THEODORE, atque utinam (ex pectore hoc votum) majus aliquod, tuoque ingenio, ac virtutibus magis dignum munus! Sed quid dicam? festinat se tibi aperire, & animo tuo insinuare animus meus, à quo munus hoc per se haud magnum, omne suum pondus acci-

piat necesse est. Hîc namque palam profiteor quanti & te, & amorem quem non semel erga me testatus es, faciam. An ego non magni facerem virtutem, scientiam, humanitatem, tam feliciter in te maturescentes, ut earum primitiæ jam habeant plenissimæ messis instar? pudori tuo non parcam, ne desim officio meo: virtutem tuam te celare in te virtus est, eam si quando occasio detur non propalare mihi daretur crimini. Et quis taceat in juvene nulla juvenilis ætatis argumenta, nulla voluptatis inquinamenta, nulla levitatis vestigia inveniri? Sed quid ago? an vitiorum fugâ te magnum prædicem? non est, non est iis locus in eo pectore, quod verè virtutes totum occupavere. Amor ille laboris in rebus honestis expellit ignaviam, levĩtatem non admittit illa morum gravitas, libidinem fugat alia & melior multos adjuvandi libido, quò facit sublimis illa tua, & admira-

mirabilis cum variarum, tum vel maximè *Rerum Medicarum* ſcientia: admirabilis, inquam, quis enim non admiretur te anno ætatis decimo octavo ad prima latinitatis rudimenta admiſſum, biennij ſpatio ita *Romanæ Linguæ* perfectionem, & principia *Græcanicæ* attigiſſe, ut illâ promptiſsimè ſcribere & loqui, hanc otiosè interpretari poſſes: quis non prædicet, te altero anno ita Philoſophiæ præcepta imbibiſſe, ut ætatem in ea triviſſe videreris: quis non ſtupeat eundem te ad Medicinæ adyta ita ſubito admiſſum, ut non tantum cum veteribus ejus myſtis in theoria paria facere, ſed in praxi tam mirabilia præſtare videamus, ut nemo concipere poſſit in quo Medicorum Parnaſſo ſomniaveris, ut ſic repentè ſummus Archiater prodires. Plebs te veneratur, magnates colunt, Principes expetunt viginti quinque annorum juvenem, quia vident, intelligunt, audiunt

diunt te ſupra vulgarem artis modum, non empyricâ quâdam felicitate, ſed ſolidâ ac benè fundatâ methodo, ſanitatum edere miracula. Non texam hîc catalogum eorum, qui à deſperato valetudinis ſtatu reſtitutam ſanitatem ſuam tibi referunt acceptam, nec enim tu iſto genere laudis eges, nec ego volo ad particularia ob certas rationes deſcendere. Sufficit mihi, ſi omnibus perſpecta & quamplurimis percepta humanitas tua, quam tertio loco poſueram, æquo animo admittat hoc meum obſequium, quò, ut initio dicebam, nihil aliud intendo, quàm magis intimè inſinuare me animo tuo, quò, te ſupra vulgarem ſortem per hæc quæ dixi Medicæ artis miracula quotidie magis atque magis accreſcente, amor tuus erga me non imminuatur, quandoquidem meus licet ex amicitiâ in venerationem vertendus ſemper augebitur.

GERAR-

GERARDUS BLASIUS

Med. Doct. & Prof. Pub.

LECTORI BENEVOLO

Salutem.



Ractatûs hujus Authorem, imò tractatum ipsum multis commendare velle, supervacaneum omninò censemus, Soli hoc esset lucem velle addere. Quis enim vel leviter in Medicinâ & Physiologiâ versatus, qui summi Viri *Fortunii Liceti* summo acumine scripta opera, si non in totum, saltem ex parte, viderit, legerit, perpenderit? Quis non admiratur maximi hujus Philosophi eruditionem, & in inquisitione rerum naturalium æquè ac præternaturalium diligentiam singularem? Ardua pleraque sunt quæ indagare, examinare, illustrare aggressus est. Testatur id inter alia præsens *de Monstris* tractatus, in quo fusam eam materiam de eorum causis, differentiis, quæque eo ullo modo spectant, & ad cujus debitam tractationem exemplorum ingens requiritur numerus, mirâ adeò brevitate proponit, ut, si non tam moles, quàm rerum eo exhibitarum excellentia & copia spectetur, volumen rectius appellari mereatur. Hunc semel atque iterum typis descriptum *tertiæ editioni* adornare consultum quod judicaverimus, præter celebritatem nominis Authoris ursit, quàm maximè exemplariûm ultimo, nempè anno CIↃ.IↃC.XXXIV. *Patavii* editorum, defectus, & quod præcipuum, vitiosa admodum omnium eorum quæ haberi possunt, impressio. Eloqui non possum, non dicam

quot

quot typographorum mendis ſcateant, ſed quot vitiis eloquentiæ Romanæ regulis omni modo contrariis, unde innumeris locis non niſi ſummâ cum difficultate, & præviâ ſufficienti rerum tractatarum cognitione ſenſum verum elicere licet. Omiſſa plurima, ſuperflua multa, varia transpoſita. Hæc itaque cura Bibliopolæ fuit, corrigendo, demendo, addendo, exemplar omnibus modis abſolutum exhibere, ne impoſterum quid ſit, *Lector amice*, quod à lectione utiliſſimi non minus quàm jucundiſſimi hujus ſcripti te detineat. Ad hoc obtinendum multum quoque conferre videbatur, & Characterum ad operis hujus impreſſionem adhibitorum diverſitas, & Indicis abſolutiſſimi curioſa diſpoſitio. Literarum hinc exactum à Typographo obſervari diſcrimen ſedulò curavit, poſtquam in primis tribus phileris confuſionem à me admonitus annotaverat. Indicem quoque, quem in prioribus editionibus capita ſola reſpicere comperiebatur, unde neceſſariò integrum ſæpè caput, aut ſaltem maximam ejus partem, perlegere coactus fuit Lector, antequam ipſi occurreret id, in quod inquirebat, ita diſpoſuit, ut jam ſingulis paginis ſit accommodatus. Et cùm ad hiſtoriæ fidem maximum contribuat tradentis authoritas, placuit etiam hîc Catalogum operi adjicere Virorum eorum, quorum mentionem elaboratiſſimo hoc ſuo tractatu facere voluit *Licetus* noſter. Hæc ubi ad editionem hanc perficiendam, magno labore, nec minori ſumptu, ſic adornavit Bibliopola, juvenis literatiſſimus, ſuo non minus quàm aliorum commodo ſtudia promovere ſummoperè allaborans, utpote quibus eum omni tempore maximè delectatum probè ipſe novi, quò majorem fidem apud te, *Lector humaniſſime*, mererentur, &, ſiquidem quid vitii adhuc continerent, convenienter emendarentur, Recenſioni meæ ſubjicerem amicè rogavit. Deſiderio ejus honeſtæ contrariari inhibuit jam à teneris contracta familiaritas,

liaritas,

liaritas, ne quid de insito studia promovendi ardore, maximè si Medica fuerint, dicam. Quid à me præstitum sit, non necesse hîc adducere, ne alienis superbire velle videar, suffecerit utriusque nostri operâ opus limatum probèque politum tibi hîc exponi. Nec Recensioni tantum, tui in gratiam, vacavi, sed & auctuarii loco recentioribus temporibus observata quædam sub finem operis adjeci. Selecta ea sunt, simplici quandoque stylo proposita, nonnunquam & Iconibus illustrata, ab iis, quæ *Licetus* noster magno numero exhibet, planè distincta, hîc enim similia siquidem adjicere animus fuisset, næ Appendix libri molem longè superasset. Desumpta omnia ex Authorum fide dignissimorum operibus, ut sunt: Observationes medicæ *D^ni. Nicolai Tulpii, Exconsulis, & Senatoris Amstelodamensis, in Collegium Ordinum Hollandiæ & Westfrisiæ deputati, &c.* Historia Naturalis, & Medica Indiæ Orientalis *D^ni. Jacobi Bontii apud Indos Archiatri*, ob materiæ excellentiam & affinitatem juncta Historiæ naturali Indiæ Occidentalis *D^ni. Guiljelmi Pisonis, quondam Illustrissimi D^ni. D^ni. Joannis Mauritii, Principis Nassoviæ, &c. Archiatri, nunc Practici Amstelodamensis & Collegii Medici ibidem Præfecti.* Historiæ Anatomicæ rariores *D^ni. Thomæ Bartholini, Professoris Regii apud Hafnienses honorarii, &c.* Observationes Medico-Physicæ *D^ni. Petri Borelli, Medici Galli.* Specimina Anatomica *D^ni. Ludovici de Bils à Coppensdamme, Bonem &c. Domini &c.* Lux denique è tenebris affulsa ex viscerum monstrosi partûs enucleatione *D^n. Anthonii Everardi, Practici Medioburgensis.* Unicum, idque omnium ultimum in rerum naturalium æquè ac præternaturalium investigatione industriæ singulari *D^ni. Eduardi à Sypestein, quondam discipuli mei diligentissimi, nunc Practici apud Ultrajectenses Experientissimi, Amici sinceri*, præcipuè acceptum ferimus.

AD LECTOREM.

Hæc ſunt, *Benevole Lector*, quæ te ſcire neceſſarium duxi, antequam de editione hâc judicium feras; de chartæ enim typorumque nitore, multa hîc adferre ſuperfluum foret, quid opus verbis, ubi rerum teſtimonia adſunt. Vale interim, laboreque noſtro utere.

INDEX

INDEX CAPITUM

In hoc volumine contentorum.

PRÆFATIO

Aperiens propositum, utilitatem, ac divisionem totius Operis.

LIBER PRIMUS,

In quo agitur de Monstris generatim.

INDEX

LIBER SECUNDUS.

In quo ſpeciatim agitur de Monſtris Humanis.

PRÆFATIO

Attexens dictis dicenda, & dicendorum ordinem promulgans.

Cap.

Cap.

Cap.

F O R-

FORTUNII LICETI

In ſuos Libros de

MONSTRORUM CAUSSIS,

Natura, & differentiis.

PRÆFATIO.

EA eſt admirabilium noſtratis hujus orbis eventuum conditio, ut hominem, rerum indifferenter omnium ſcientiam connato impulſu, internoque affectu nunquam non deſiderantem, peculiari quadam vi ab aliis quibusque ſcibilibus ad ſui ipſorum meditationem alliciant non ſolùm, verùm etiam attrahant, rapiantque: Quum igitur inter univerſa ſub cœlo degentia monſtroſæ animantes maxima raritate ſummam ſui admirationem pariant in mortalium animis; non ab re communi iam cupiditate flagrant ubique homines Monſtrorum eſſentiam internoſcere. Sed eorum quicumque ad hæc uſque tempora de Monſtris contemplationem mundo invulgarunt, plurimi nudas Monſtrorum hiſtorias texere ſat habuerunt; alij ſubtiliores quidem, ſed admodum pauci eorumdem aliquot differentias, & leviores cauſſas jejunè nimium tetigerunt; à nemine adhuc Monſtrorum attributis omnibus exactè declaratis; ut propterea eximia hæc Phyſiologiæ ſeges etiamnum inculta, & ferè deſerta nos ad ſui culturam accuratiorem acrioribus dudum ſtimulis excitaverit. Qua quidem in ſpeculatione licet omnia Monſtrorum attributa perſequi decreverimus; quia tamen ex rei natura præcipuè cauſſas, originem, & differentias eorum explicare inſtituimus, primùm quidem

generatim monstrorum omnium communem naturam considerantes, deinde verò speciatim eadem attributa in homine monstroso, velut in ceterarum specierum regula, manifestaturi; proinde universam meditationem De Monstrorum caussis, natura, & differentiis *inscriptam, in duos libros partiri operæ pretium duximus, eorumque primum communi monstrorum generi, alterum verò monstris humanis speciatim dicare voluimus, in hac theoria unam rei naturam jugiter intuentes, & Aristoteli magistro semper adhærentes, Platone, Hippocrate, Galeno, atque Avicenna nequaquam neglectis. Difficilem scio me nunc subire provinciam; Sed quum ea sit Monstrorum ad perfectas animantes habitudo, quæ privationis ad habitum, obliqui ad rectum, ac omnino læsi cujusvis operis ad absolutum; propterea ut* [a] *Aristotelis observatione, privationis natura intimè dignosci nequit nisi per habitum, cui opponi dicitur; & rectum obliqui scitissimè* [b] *index constituitur; omnesque norunt, oblæsiones atque operum peccata non nisi ab ijs plenè cognosci, qui absolutorum essentiam, & attributa prius non ignoraverint: ita planè quæcunque à nobis in hoc opere* De Monstrorum caussis, natura, & differentiis *exarata sunt non exactè, nec facilè ab iis intelligi valebunt, qui prius librum* De perfecta constitutione hominis in utero *superioribus annis invulgatum non lectitaverint; in eo enim plurima jacta sunt fundamenta, & explicata principia dicendorum in præsenti volumine. Tu Divinæ sapientiæ Mater admirabilis, cujus hodie læta mirificam Nativitatem sacrosancta celebrat Ecclesia, in hac ardua contemplatione mihi scientiam veritatis à summo Deo impetra obsecro, Virgo Dei genitrix incomparabilis. Rem igitur in tuo nomine alacer aggredior.*

[a] 3. de an. t. 25.

[b] 1. de an. t. 85.

FOR-

FORTUNII LICETI
GENUENSIS
DE
MONSTRORUM CAUSSIS,
Natura, & differentiis,

LIBER PRIMUS,
In quo agitur de Monſtris generatim.

CAPUT I.

Monſtri varia ſignificatio, quæ propria eſt; ac noſtri inſtituti detegitur.



Uæcunque rarò contingentia communem rerum ſui generis ordinem, ac legem magno exceſſu cum ſumma hominum admiratione tranſgrediuntur; ea, ſive in bonorum, ſive in malorum ſerie contineantur, publico ſapientum conſenſu Monſtra nuncupari conſuevere: ſic viri virtutibus heroicis mirè præſtantes; quaſi humanam ſupergreſſi naturam propè ad Divinam acceſſerint; ſic ex adverſo ferinis vitiis homines turpiſſimè fœdati, quaſi belluarum conditionem induentes humanam penitus exuerint; ſic mulieres eximia corporis aut pulchritudine admirabiles, aut enormi deformitate abominabiles, Monſtrorum nomine paſſim à Scriptoribus appellantur. Sed cetera metaphoricè, Monſtra metaphoricè,

atque communiter; physicè verò, ac propriè monstra dicuntur, quæ in subcælestium animantium genere non sponte genita membrorum constitutionem perfectæ progenitorum structuræ turpiter dissimilem, ac eorum naturæ minimè consentaneam sortita fuerunt; ut puellus expes, puella biceps, cinocephalus, centaurus, & alia id generis: Quæ siquidem enormia in rebus inanimis raro contingunt, suarum caussarum naturam non referentia, sed alieni generis essentias mirè præseferentia; ut militum digladiantium, ac leonum imagines in nubibus aliquando apparentes; ea potius portenta, prodigia, & ostenta, quam verè monstra nuncupavero. Quæ autem animantes unius naturæ in suo genere perfectam constitutionem habentes ex femina diversæ admodum speciei enascuntur, ut rana, vel serpens ex mulieris utero exiens, puellus albus ex æthiope genitus, ac vicissim ex parentibus albis puella nigra, & similia his, verè monstra non sunt, sed quasi monstra; ut docuit nos egregiè Plato in Cratylo; siquidem originem monstrosam habere possunt, non autem substantiam; quippe simpliciter visa intuentium mentes in admirationem non rapiunt. Quæ item dissimilium specierum membra obtinere videntur viventia ex parentibus sibi consimilibus orta, ut qui vivere dicuntur in Africa homines monoculi, unipedes, & acephali, verè monstra non sunt, etsi veris monstris similia sint, ac vulgo monstra nuncupentur: sed vulgi errorem arguit non rara, nec parentibus dissimilibus, at ex consimilibus, & quotidiana eorum ibi generatio citra ullam incolarum admirationem. Quæ demum parvo excessu à natura parentum viventia degenerant, ut gibbi homines, claudi, macrocephali, & id generis,

Monstra propriè dicta.

Portenta, prodigia, & ostenta, non monstra.

Quasi monstra non monstra quæ sint.

Vulgi monstra.

monstra

monstra mihi non sunt, cui nec raro fiunt, nec admirationem ullam incutiunt. Reliquum est igitur ut Monstra, quorum contemplationem hoc opere aggredimur, proprijssimè dicta, sint animantia, speciatim humani aliquid habentia, inusitatæ structuræ, suis genitoribus valdè dissimilia, & raró contingentia; ut homo trimanus, equæ pullus humano capite, natus ex muliere semicanis, & id generis alia plurima; quorum differentias † infra promulgabimus.

Verè monstra quæ.

† cap. 13.

CAP. II.

Monstri etymologia vulgaris, quasi res eventuras monstrent, confutatur: vera, & propria proponitur.

DIcuntur autem hæc propriè Monstra, non quia sint talia ut hominibus monstrent, res eventuras; quod cum vulgo sibi persuasisse videtur * M. Tullius; siquidem in primis pleraque horum vidimus, ad quæ in iis regionibus ubi nata, & alta fuere, nihil insuetum, aut insigne bonum, aut malum est consequutum, quod ab illis unquam præmonstrari potuerit. Deinde verò monstra quum sint ª Aristoteli, reluctante nemine, peccata, & læsiones naturæ non rectè operantis; profectò si physicè quid portendere possunt, ea non nisi malorum signa esse valebunt: At verò nos agnovimus genitores antea vitam in summa inopia duriter agentes, è nato sibi monstro, nullam perpessa regione noxam, egestatis malum fugasse, pecunia non modica in filio monstrando à videntibus undique sibi comparata. Deinceps autem naturalia signa quæcunque necessario sunt eorum, quæ ab ipsis monstrari dicuntur, vel caussæ, vel effectus: ceterum monstra

* de Diu.

ª 2. Phys. t. 82. 4. de gen. an. ca. 4.

Monstra nil monstrant futurum.

Monstra errata naturæ.

Monstra non nisi malorum signa esse valere.

Signa physica duum generum.

Monstra non indicant futura quia sint futurorum effectus.

Caussa quæ tempore posterior suis effectibus.

Futura mala cur non sint fines monstrorum.

Finis perficit, Monstra non perficiuntur eventis.

monstra non indicant futura quia sint eorum effectus; quippe nulla caussa est secundum tempus suo effectu posterior, una excepta finali; eventa verò potissimum mala, quæ à monstris significari dicuntur, non possunt constitui monstrorum fines; quia finis essentia consistit in bono [a] Quin & absolutè quæ monstrorum exortum sequuntur, eorum fines esse non valent; quoniam finis perficit ea omnia, quæ ad finem diriguntur; monstra verò eventis non perficiuntur, quia sæpè intereunt monstra prius quàm illa eveniant, quæ ab ipsis monstrata creduntur; plerique enim monstrosi partus exorti statim, vel paullò post emoriuntur: & profectò [b] Aristoteles Empedocli negans in prima viventium constitutione multa genita fuisse monstra, temerè in unum concurrentibus variorum animantium partibus; illi non inficiatur, si quæ monstra exoriantur ex diversi generis membris malè consarcinata, ea statim emori, nec diu in vita servari. Neque verò monstra censeri debent futurorum nuntia veluti suorum effectuum; siquidem nullam activitatem, caussæve rationem obtinent monstra in res futuras, quas indicare putantur, tum quia plerumque corrumpuntur monstra multò priusquam ea nascantur, quorum indicia esse statuuntur; tum quia monstra procul abesse possunt ab iis, quorum signa, & caussæ dicuntur esse; quum omnis actio physica per naturalem [c] contactum obeatur; tum demum quia nihil in se habent monstra; quo futurorum caussæ statui possint: quid enim rustici puellus biceps mox exortum in Republica dissidium efficiendo præmonstret? Denique verò si monstra signa sunt, quum physica signa futurorum esse nequeant; erunt Divina: & certè plerique insignes viri opinantur à Deo sum-

Monstra non esse caussas futurorum.

Actio physica tactu fit.

[a] 2. phys. t. 23.

[b] 2. phys. t. 76.

[c] 1. de gen. t. 44. & 45.

ſummo procreari monſtra, ut hommines moneat futuræ calamitatis: Ego quidem ut credo poſſe Deum optimum, & omnia monſtrorum genera mirabiliter procreare, & iis creatis uti ad monendos homines de futuris, ac imminentibus ærumnis; ita non arbitramur, quæ reipſa hucuſque nata ſunt monſtra, ab uno Deo in hunc finem prodiiſſe; tum quia in Africæ ſolitudinibus multa ex brutis exoriuntur monſtra, ubi nulli degunt homines, quibus eventura miſeria ulla præſignificetur: tum quia frequentia ſunt monſtrorum exempla apud infideles, qui prodigiis à vero Deo, quem non agnoſcunt, neque colunt, non retrahuntur à malis imminentibus: tum quia in ſacris litteris nullum à Deo monſtrum procreatum legimus in hoc genere, licet multa olim prodigia fecerit: tum demum quia pleraque monſtra ex nefaria venere originem ducunt, cujus miniſterio piaculum ſit aſſerere Deum optimum uti ad monendos homines. Monſtra igitur appellantur, non quia ſint ſigna hominibus ullo pacto monſtrantia res eventuras; ſed quia viciſſim ejuſmodi ſunt, quæ ob ſui novitatem, ac enormitatem quamprimum viſa cum admiratione, atque ſtupore ab unoquoque unicuique alteri monſtrantur: ea eſt enim hominum conditio pecularis inter ceteras, ut ubi quis aliquid inſigniter enorme conſpexerit, ſtatim cuivis obvio, aut propinquo illud mirabundus oſtendat; & abſente homine, cui illud monſtrare queat, miris modis animo excrucietur donec alterum inveniat, cui monſtrum commonſtret: adeò geſtit natura hominis quod rarum novit, alteri monſtrare.

A ſolo Deo poſſe fieri omnia monſtra.

Non à Deo reipſa fieri proximè monſtra.

Monſtri vera etymologia.

CAP.

CAP. III.

De Monstrorum Humanorum reali existentia.

Rerum existentia ut comprobetur.

MOnstra in rerum natura verè consistere, nec esse pura hominum figmenta, non aliunde quàm ex historijs, Clarissimorum virorum testimonijs, & experimentis comprobari potest. Multa quidem ficta sub monstrorum nomine circumferri novimus; at omnia monstra esse Poëtarum commenta, aliorumve hominum mendacia putandum est nemini; siquidem Rueffo [a] natus est homo carens brachijs à nativitate, pedibus ea omnia faciens, quæ ceteri manibus efficiunt. Et in agro Veienti puer natus est unimanus & biceps. Quorum has ipse protulit effigies.

[a] lib. 5. c. 3



Poly-

[a] lib. 3. de Prodig. Polydorus [a] Virgilius puerum unimanum ortum esse scribit; & puellam genitam altera manu carentem. [b] Realdus autem Columbus illustris anatomicus alios, inquit, secui, quibus brachia ab ortu deerant: alios, quibus deerant crura. Praeterea corpus integrum intuitus sum, cui dimidium alterius cohaerebat. Auriculas instar brutorum in hominibus. Et nonnullis interpositis subdit, Monstrum mihi oblatum est Patavij dissecandum, erat infans semestris mas, ut alij mares sunt, cui alius imperfectus infantulus in anteriore parte incumbebat, cruribus, brachijs, dorso, abdominis parte, pene, medioque collo: videbatur autem caput huius imperfecti puelli in thoracem perfectioris intrusum. Hoc monstrum vixit aliquandiu. Si quis imperfectam illam appendicem, & pondus inutile attigisset, ille, quem integrum omnium membrorum diximus, statim persentiscere animadvertebatur. Hoc itaque monstrum, ubi diem suam obijt, ego rei novitate allectus libenter secui: quae autem observavi, haec ferme sunt: In imperfecto nonnulla intestina aderant, ex quorum unius portione tum vesica, tum anus construebantur: nullum ibi aderat jecur, neque cor, neque cerebrum: sed ren permagnus, quem ego hepatis penè munere fungi sum opinatus: nam ab extremo jecore perfecti infantis crassa vena, duraque ad instar arteriae deducebatur ad renem illum insignem; atque inde venae aliae complures passim distribuebantur: at ab arteria dextra axillari perfecti puelli arteria ortum ducebat, quae postmodum per universam partem monstri imperfectioris deducebatur. Item à nervis dextri brachij exibant, qui per reliquum corpus imperfecti homunculi disseminabantur. atque hactenus de monstro Patavino vir egre-

Monstrorum historiae.

[b] lib. 15. de re anat.

egregius. Alius visus est, è cujus umbilico prominebat caput humanum, in has effigies.



Phlegontis [c] autem Tralliani, Cæsaris Liberti, ejusdemque scriptoris antiqui testimonio, Ad Neronem allatus est infans quadriceps, respondentibus proportione etiam ceteris membris, Athenis præfecto Thrasyllo, natus est & alius caput habens è sinistro enatum humero. Cornelij Gallicani uxor Romæ infantem partu edidit capite Anubidis. Romæ quædam bicipitem abortu edidit fœtum, qui Aruspicum jussu in Tiberim amnem est abjectus. Divi [d] Augustini testimonio, post Babylonici ædificij dissipationem diversi generis hominum monstra producta sunt. Apud Ioannem Gualtherium [e] Belgam ex Rubeaquense habemus pueros


[c] lib. de mirab. & longæv.

[d] 16 de ci. Dei c. 8.

Anno Mundi.

[e] tom. 2. Chron. chr. pol.

pueros ingenuos Arimini ſine oculis, & abſque naſo 3772.
genitos. In Piceno infantem manibus ab ortu, pedi- 3774.
buſque carentem. Arretij puerum natum eſſe uni- 3792.
manum. Sinueſſæ alium à nativitate altera caruiſſe 3803.
manu. Priverni quoque puellam ſine manu enatam. 3872.
Romæ itidem ancillam puerum una orbatum manu 3873.
peperiſſe. Alia natum habuit ſine foramine naturæ, 3792.
quo humor emittitur. In Veienti puerum natum eſſe 3800.
bicipitem. Theani Sidicini alium quatuor manibus, 3803.
totidemque pedibus, binoque membro femineo or- 3823.
f cap. 71. tum refert etiam Julius f Obſequens. 3830.



Eidem Chroniſtæ Terracinæ pueri trigemini editi ſunt. Ceræ quadrupedes, & quadrumanes infantes orti. Amiterni puellus tres pedes ab ortu habuit.


Anno mundi. Puerum ancilla peperit quatuor pedes, manus, oculos, auresque totidem habentem cum duplici obscœno; qui Aruspicum jussu crematus est, cinere mox in mare dejecto. Puella etiam quatuor pedes ab utero
3832. matris eduxit. Frusinone ancilla puero bicipiti ma-
3838. ter extitit. Puer trimanus, ac tripes ortus est alibi.
3870. Puella biceps, quatuor pedes habens, totidemque ma-
3871. nus, & duplicatum feminæ sexum, ex alvo materna
3819. sine vita exivit. Amiterni etiam Iulio Obsequenti
g puer tribus pedibus, & una manu exortus est. ibi- g cap. 75.
dem alter tripes enatus dicitur.



Nursiæ gemini ex muliere nati, puella integris membris omnibus; puer vero podice ad anteriorem regionem

gionem transposito; nempe à parte priore alvo ita hiante, ut nudum intestinum conspiceretur; idem posteriore parte solidus natus; qui voce missa diem obijt. Idem Gualtherius ex [h] Æliano, [i] Volaterrano, & Rubeaquense memorat Matem Italiæ accolam pubetenus hominem, reliqua equum retulisse; licet Ælianus arbitretur primum equitem fuisse, non verè centaurum. Tarquinijs genitum esse porcum ore, & capite humano. Consimile monstrum postea Sinuessæ ortum non semel. Ceræ autem Suem humanas manus, & pedes habuisse. Proximis mensibus in Agro Patavino mulier felem partu edidit, e cujus parte posteriore humana crura pendula prominebant;

[h] 9. var. histo. ca. 16.
[i] 17. Antropolog.



cujus

cujus historiam infra latius commodiori loco referemus. Plutarchus refert [k] se vidisse centaurum ex equa natum, supernè ad cervicem usque, & manus humana forma, reliquas partes equinas habentem. Asinæque [l] filiam asinina crura, ceteras partes humanas, easdemque pulcherrimas obtinuisse. Aristoteles [m] ipse puerum non diffitetur jam ortum capite arietis, aut bovis; vitulum capite pueri. Quin & apertè confitetur pueris etiam quibusdam genitalis postremum, & meatum qua excrementum vesicæ transit, non eodem tetendisse; sed infra meatum illum transegisse; quamobrem eos demissis clunibus mingere, qui testibus paullò in partem superiorem retractis, videntur à longe simul & maris habere genitale, & feminæ. Jacobus [n] Rueffus infantem se vidisse asserit ortum sine manibus, aliumque pedibus carentem. Ioan. Baptista [o] Porta confitetur multos se vidisse quadrimanos, & quadrupedes, varijsque formis: sed Neapoli speciatim vivum puerum, ex cujus pectore alius puer foras exibat integer, retento solum in pectore prioris capite; qui cohærebant simul in ventre. Raby [p] Moyses testatur quodam anno mulieres in Sicilia peperisse pueros deformes, ac plurimos bicipites. Pausanias item refert mulieres ætate sua partu edidisse monstra minotauro longè horribiliora. Sunt itaque monstrosæ species plurimæ in humano genere.

[k] In conviv. sep. sap.
[l] Parallel. 29.
[m] 4. de gen. an. cap. 4.
[n] 5 lib. de concept. cap. 3.
[o] 2. Mag. cap. 17.
[p] Aphor. 25.

C A P.

CAP. IV.

Realis existentia monstrorum irrationalium naturam non egredientium patefit.

SEd & in brutorum animantium serie monstrorum easdem propemodum contigisse differentias litterarum monumentis prodidere scriptores varij; Polydori [a] enim Virgilij observatione sues nati sunt aliquando sine auribus. Mulus tripes genitus. Magno [b] Alberto hircus ortus est pedes tantum anteriores habens, iisque gradiens, posteriore parte corporis solum non verrens. Æliano [c] Ægyptij ternis aliquando pedibus Accipitrem apud se visum ajunt. Apion Gruem bicipitem, aliamque avem quadricipitem memorat. Ælianus vidit Bovem quinque pedes habentem, & vitulum, cui pes ab humero dependebat; absolutus quidem, sed ad gressum inutilis. Ægyptij ferunt agnum pedibus octonis; & cauda gemina esse natum; ac eumdem fuisse bicipitem. Licet Ælianus hoc fabulosum putet, quod humano sermone locutus esse dicatur. Apud Clazomenios Suem alatum exortum fuisse auditum est. Ne huc afferam testimonium Empedoclis ab Aristotele [d] citatum, & ab Æliano ita scribente, Empedocles physicus de animalium proprietate scribens, autor est nasci quædam bigenera, in unum scilicet corpus natura duplici coalita; sed ejus versus audiamus,

„ *Multa genus duplex referunt animalia membris,*
„ *Pectore, vel capite, aut alio, sic ut videatur*
„ *Ante viri, retroque bovis forma, aut viceversa:*
„ *In pecore humanæ quondam vestigia formæ*
„ *Insunt, & pecoris humano in corpore contra.*


[a] 3. de Prodigijs.
[b] 18. de animal. tr. 1. cap. 6.
[c] 11. de animal. cap. 39. 12. de animal. cap. 3. 38.
[d] 2. Physica t. 76.

Quam

Quam sententiam non damnat Philosophus. Immò verò ipsemet Aristoteles [e] non negat ovem natam esse capite bovis: sed confitetur animalia orta multis capitibus, & pluribus pedibus quam eorum speciem deceret: ac speciatim oviparorum gallinas, & columbas peperisse pullos monstrificos corpore, & capite uno, cruribus quaternis, alis totidem. Conradi Lycosthenis testimonio, M D LII. mense Februario in domo Ludovici Dheitæi, felis domestica inter reliquos fœtus numerosos, enixa est catellum vivum, monocephalon, bicorporem, octipedem, utriusque sexus, corporibus invicem complexis, & in unum caput coëuntibus, sic ut se mutuo osculantium speciem referrent. Idemque mox addit, Anno Domini M D LIV. Catus Basileæ mihi domesticus, quum quatuor uno partu catulos edidisset, postquam post octiduum in profluentem projiciendos mandassem, invenit ancilla unum ex his pedibus horrendis, ac quasi in spiram variis reflexibus conversis. Post biennium autem tres catulos uno partu edidit circa ventrem, non umbilici vinculo conjunctos, sed revera in matris utero unitos, quos tamen partus dolore enecatos invenimus. Ejusdem relatu, M D LII. Bonnæ inferioris Germaniæ, haud ignobilis, atque ad Rhenum quatuor miliaribus Colonia Agrippina siti oppidi, X V I I. Calend. Junii biceps vitulus, duobus scilicet corporibus, capitibus, caudis, sed tribus tantum oculis natus est. Horumque monstrorum effigies has appinxit.

[e] 4. de gen. an. cap. 4.

Sed



Sed & hodie Patavii in Collegio Ravennati felis inter multos catulos unum peperit bipedem, qui carebat cruribus anterioribus; & habebat oris orificium propè gulam; obtinebatque quadratas aures: Vivus ortus eſt, ſed brevi mortuus, quia carens pedibus, ad mammam repere nequivit, ut fratres; quare fame perijt. Vidi ego recens mortuum. Ait-
4. de gen. an. c. 4. que Ariſtoteles viſum jam eſſe ſerpentem duobus capitibus. Conſpectamque fuiſſe capram cornu in crure gerentem. Meatum etiam alimenti ſicci coaluiſſe

quibusdam bestijs, scilicet ovibus, & nonnullis alijs; nam & vaccam fuisse Perinthi accepit, cui cibi excrementum extenuatum per vesicam transmittebatur, dissectusque anus denuo properè coalescebat, nec resecando evincere vitium poterant. Subtili *f* Scaligero canis bipes ortus est; & anaticula uno crure nixa. Rueffo in Helvetijs *g* equa à tauro subacta pullum peperit equinis tantum pedibus, forma verò crinibus, & cauda bovi similem. In Gallia verò equa à cervo subacta pullum edidit posteriori parte equæ similem, quem nullus alius equus cursu æquare potuit; ipsumque Ludovicus Rex à possessore dono accepit. Ælianus bovem quinque pedibus præditum vidit. Rhases tricipitem canem aspexit. Gualtherij relatu
Anno Mundi. agnus Tusculi natus est cum ubere lactanti. Equu-
3755. leus Reate quinque pedibus ortus. Alium similem
3763. postea in Lucanis genitum asseverat, & alium in Bru-
3766. tijs. Pulli gallinacei nati cum ternis pedibus. Suessæ
3767. Livio etiam natus est agnus biceps. Aculo agnus bi-
3769. ceps cum quinque pedibus. Mulus tripes Reate natus.
3789. Anguis quadrupes visus. Calatiæ natus est asinus tri-
3838. pes. Gallus gallinaceus quinque pedibus inventus.
3841. Saturæ vitulus biceps natus. Alter in Gallia. In Lu-
3861. canis duo agni equinis pedibus nati, alter siminino
3873. capite. Pullus gallinaceus quadripes. Bos recens
Anno Christi natus initio belli Romani contra Persas conspectus
573. est, ex cujus cervice duo capita eminebant. Ex ovo
1268. provenit anser monstrosus, quem se vidisse refert Al-
1269. bertus cum duplici collo, quaternis pedibus & alis;
1270. dorso uno, ut videretur anser unus alium deferens;
1433. sed non diu vixit. Calissæ natus est vitulus cum duo-
1456. bus caninis capitibus, atque dentibus, & septem pe-
1490. dibus vitulinis; capitum autem majus quidem in

loco

f in 1. de plant. Arist. com.

g 5. de concep. c. 3.

loco suo, minus verò ad caudam situm erat. Ex Annalibus Dominicanorum Colmariensium Christiani Urstisii fide & industria editis, habemus in Tham fotum fuisse pulliculum quatuor pedes habentem ex ovo gallinæ. Wyle in Turgaviæ oppido vitulus biceps natus est. Alter postea in Sabinis. Pontanus testem citat, 1496.
qui affirmavit allatum sibi arietem exenteratum, qui præcordia, & intestina geminata obtinuerit. In Suntgoiæ pago Lanser, natus est porcus uno capite, quatuor auribus, duabus linguis, octo pedibus, corpore à capite ad umbilicum uno, ad posteriores partes gemino. Laurentius Pignorius, historicæ veritatis, & antiquitatis cultor eximius, in suis notis ad Alciati
„ emblemata scribit, Locustæ anno Domini M D
„ LII. die XVIII. Augusti Insubriam & Venetiam
„ depopulatæ sunt: id verò quoad annum adeò verum
„ est, ut ambigere non liceat. Præibat porro illarum
„ agmen (ut traditum est) monstrum, quod nos hic
„ appingendum curavimus, cum locustæ imagine,
„ ut rei memoria perennet, videantque Providen-
„ tiæ Divinæ hostes, syntaxim Dei Opt. Max. in pœ-
„ nis etiam infligendis, ad quas non sine mente &
„ consilio prodit sapientissimum illud Numen. Et
„ hujusmodi parergo usi sunt tunc temporis Phry-
„ giones (uti ego non semel animadverti) in au-
„ læis exornandis.


Pictura verò talis est, supervolans monstro suillo, de quo nuperrimè.



In pago Argentinensi Sugenheim anser in ovo inventus duplice capite, collo uno, quaternis pedibus, quorum duo erant in alarum loco; podex geminus.
1499. Ibidem sus ortus anserinis pedibus. Cracoviæ vitulus
1533. biceps natus. In Helvetiorem oppido Tella, in alvo leporis inventus lepusculus quatuor auriculis, & octo pedibus, quorum quatuor in dorso eminebant, alii
1541. suo loco stabant. In Sardinia, qua nocte Carolus
1551. Quintus in Africam soluturus venerat, natus est vitulus biceps. Alius postea ortus propè Fribergum. In Thuringia vitulus natus est sextipes massam carnis è latere dependentem gestans. Bernæ, & Basileæ visus equu-

equuleus quinis pedibus. Apud Rauracos circulator bovem quinque pedes habentem circumducebat. In 1572.
Gallia gallinæ pulli comperti ſunt quatuor alis, totidem pedibus; aſt uno capite præditi: Paræi [i] teſtimonio, Metis in Lotharingia, in hoſpitio, cui Sancti Spiritus imago pro inſigni eſt, ſus nephrendum peperit octonis cruribus, quaternis auribus, & capite canino præditum: poſteriora corporum à ventre deorſum tanquam gemellorum diſtincta erant; anteriora surſum unita; duas in ore linguas habebat cum dentibus quaternis in ſuperioris maxillæ, totidemque in inferioris lateribus: Haud ſatis expreſſa erat ſexus diſtinctio, ita ut maſne, an femina id monſtrum eſſet dignoſcere nemo poſſet: unica enim ſub cauda rima: ſingula quæque corporum poſteriora fiſſa, & aperta erant. Paræo etiam Anno Domini milleſimo quin- 1573.
genteſimo ſeptuageſimo tertio, in Zezanæ Urbis ſuburbio, loco qui dicitur campus Benedictus, in ædibus Ioannis Poleti, ſalis menſoris, natus eſt agnus, hac qua cernis effigie: editus in lucem mox interijt; nec vitæ, niſi exiguo motu, ulla ſigna dedit: ſub auribus oſculum ipſi viſebatur, lampetræ oſculo ſimile. Venetiis anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo 1575.
quinto, ortum monſtrum ſub uno capite duo catellarum corpora continens. Alibi ſerpens viſus duplici capite in has effigies.

[i] li. 24. c. 2.



1577. Eodem [k] autore in eodem pago Blandio Melodu- k lib. 24. cap. 12.
ni ortus est agnus triceps; medium caput reliquis crassius erat; balante uno reliqua pariter balabant capita. Id monstrum sibi visum affirmavit Joannes Bellange-
1624. rius. In mea domo, Patavii, anno millesimo quingentesimo vigesimo quarto, famula præpinguem gallinam mihi deplumans excoquendam, reperit in ejus pedibus utrisque quinque digitos cum suis unguibus distinctos.

Ita ergo certissimum est in brutorum animalium serie multa reperiri monstra.

Osten-

CAP. V.

Ostenditur in stirpibus etiam revera monstra contingere.

QUum inter homines, & inter animantia ratione carentia liquidò jam constet Naturam multorum generum monstra procreare mira facie, membrisque,

[a] Lucret. lib. 5.

[a] *Orba pedum partim, manuum viduata vicissim,*
Multa sine ore etiam, sine vultu cæca reperta,
Vinctaque membrorum per totum corpus adhæsu;

in stirpium genere quoque consimilia peccata, lapsusque naturæ contingere apertissimè videntur; licet multò rarius; & hoc, quia plantæ [b] simpliciorem naturam sortitæ, minoraque, & rudiora instrumenta corporis, in sui constitutione generanti naturæ magnam peccandi occasionem adimunt; facilius enim est errare in pangendis operibus variarum partium magno artificio invicem connexarum, uti sunt animalium membra; sed paucas plantarum partes rectè componere non est ita difficile; quocirca in plantis multò pauciora quàm in animalibus monstra contingunt; aliqua tamen in iis etiam exoriuntur: In primis etenim doctore Aristotele [c] habemus in stirpibus, perinde atque in animalibus, monstra necessariò contingere, dum adversum veteres ait, si ab initio temerè concurrentibus rerum principiis fiebant bovigena viriprora in animalibus, oportuisse in plantis etiam consimilia monstra fieri vitigena oleoprora. Sed apertius reipsa fieri alibi docet monstra in plantarum fructibus, ut in animalibus inquiens, [d] *Monstra multimembria rarò admodum fiunt in iis, quæ singulos pariunt, sed crebrius in iis quorum partus est numerosus,*

[b] 2. de an. t. 6.

Cur in plantis monstra rariora quàm in animalibus.

Facilius cur fit naturam errare in plantis formandis quàm animalibus.

[c] 2. phys. t. 83.

[d] 4. de gen. an. ca. 4.

merosus, & præcipuè in avium genere, earumque potissimum in gallinis; iis enim partus numerosus, non modo quòd sæpè pariant, ut columbæ; verùm etiam, quòd multos simul conceptus intra se continent, & temporibus coëunt; hinc gemina etiam pariunt plura; cohærent enim conceptus, quoniam in propinquo alter alteri est; quomodo interdum fructus arborum complures. Ac revera in ficubus, in persicis; in prunis talia nonnunquam vidimus monstrorum genera; vidimus & in limonibus. Petrus Bertellius bibliopola mihi familiaris in pepone monstrum hujusmodi conspexisse se confitetur. Prosper Alpinus eximius plantarum naturæ perscrutator hæc de monstrorum natura conscribenti mihi testatus est, observasse se in fructu cucumeris mirè monstrosam deformitatem; & in folijs trachelij vulgaris, virgæ aureæ, ac ulmi; & in folijs, floribusque rosarum; & in floribus bliti rubri, & amaranthi: misitque diebus elapsis ex horto medicinali spicam Indici frumenti, cui à latere adnati visebantur veluti cæparum cortices albi, crassi, viscidam substantiam habentes, nigra capillamenta, furvamque fuliginem intra se continentes. Gualtherius ex Rubeaquense Sigibertum autorem affert, cui arboris, quæ dicitur Sambucus, flores, grana, & fructus in flores, grana, & fructus vitis transformantur; præclarè sanè monstrum sambuci uvas ferentis. Ferrantes * Imperatus in suo Musæo carduum monstrosum se habuisse scribit, qui mirificè cornucopiæ imaginem præseferebat. Frumenta in arboribus nata testatus est * Plinius, & Livius. In Germania propè Alberschwiler, non longè à Landavio oppido, uvæ in vindemia inventæ sunt barbatæ, quæ primùm ad Ludovicum Bavariæ ducem electorem dono

Columbas sæpè parere.


Varia stirpium monstra recensentur.

* 28 li. nat. Hist. c. 1.

* lib. 18. cap. 18.

dono missæ, anno Domini M D XLI. deinde verò à Ferdinando Rege, ac Imperii Principibus in Comitijs Spirensibus miraculi loco conspectæ; ibidemque ab Henrico Ziogther, insigni pictore, ad vivum in hunc modum expressæ; ut ait * Lycosthenes. Qui mox addit, In Germania propè pagum Malsch non procul à Spira, Imperiali oppido, in vinea quadam culmus quindecim spicarum, suis aristis egregiè ornatarum, absque ulla satione inventus est. Quorum imagines hæ sunt.

* li. de prodig. & ostent.



In fungis etiam, quos infimum vegetalium gradum obtinuisse censeo, monstra interdum nasci autor est

D Porta

Porta [f] in sua *Villa* scribens afferri *Neapolim* ex *Vesuvio* monte lapides fungiferos, & *Surrentum* ex *Fageto*, & *Abellini* ex *Parthenio*, & in *Apulia* ex *Gargano*; qui lapides terræ dodrante operti fungos restibili fœcunditate gignunt, qui septem diebus perficiunt, & sexies anno demetiuntur; nascunturque fungi ex his petris aliquando non pileati, sed turiones, ut asparagi, & in ramos divisi. *Theophrastus* [g] Terebinthum memorat in olea natum. Laurus item aliquando genita est in platano, quercu, & ceraso; ficus, & platanus, & palma in lauro; iuglans, & cerasus in salice, ut cum *Plinio*, [h] ac *Theophrasto* [i] *Scaliger*, & *Porta* testantur. *Pausaniæ in Arcadicis* ex una & eadem radice ilex, & olea enatæ sunt. *Plutarchus* in opusculo de *Pythiæ oraculis* ait sub Siciliensem Atheniensium calamitatem aureas glandes de palma defluxisse. Non carent igitur monstrorum differentiis plantarum genera.

f lib. 10. cap. 70.
g 2. de caus. plant. cap. 23.
h lib. 5. ca. 17. & lib. 17. c. 14. & 25.
i 2. de hist. plant. c. 3. & 5. de caus. plant. c. 3. & 4.

CAP. VI.

De Monstrorum caussis generatim quot, quæque sint.

Monstra quatuor habere caussas.

Natura omnia efficit ex materia.

HAbent profectò monstra, ut quivis alius effectus naturæ, quatuor summa caussarum genera; materiam, formam, effectricem caussam, atque finalem: materiam quidem, quia naturaliter ex nihilo nihil fieri potest; & quicquid natura molitur, sive id substantia fuerit, sive accidens, non nisi ex præexistente subjecto, ut ex materiali principio, efficit, [a] *Aristotele* autore. Habent etiam monstra, ceteraque omnia naturæ opera, caussam formalem; quia eorum à natura constitutio, quæ generatio est, *Aristoteleo* [b] monitu, idcirco natura nuncupatur, quia est via in naturam præcipuam, quæ forma esse constituitur ab eodem Philo-

Naturæ opera omnia formam habent.

a 1. phys. t. 62. & 63.
b 2. phys. t. 14.

[c] 2. phys. t. 12. & 5. meta. t. 5.

[c] Philoſopho: habuit autem hoc rerum naturalium generatio ad differentiam conſtitutionis rerum artificioſarum, quia operatio artis non ſemper eam formam aſſequitur, ad cujus adeptionem ab artifice dirigitur; quocirca denominationem ab ea forma non habet; ſed ab artifice ſolo denominatur, à quo nunquam non provenit: ſic planè operatio Medici non ſanatio, ſed medicatio nuncupatur; non enim ſemper ſanat medicus operans; ſemper autem medetur. At generatio rerum naturalium, quia eſt via in formam, quam ſemper quoquopacto conſequitur; quæque natura eſt præcipua rei generandæ; propterea natura nuncupatur: Quæcumque igitur à natura fiunt, omnia ſuam obtinent formalem cauſſam; monſtra ergo formalis cauſſæ non ſunt expertia, quum à natura gignantur. Immò verò & effectricem neceſſariò cauſſam habere oportet quæcunque quovíſmodo producuntur; ſiquidem nihil fit uſpiam, quod ab aliquo efficiente non procreetur; nulluſque reperitur effectus abſque agente cauſſa: Quum etenim effectio cujuſque rei mutatio ſit; mutatio verò nulla ſit [d] *Ariſtoteli* ſine motore, quod abſolutè definitum eſt eſſe principium primum unde motus quilibet proficiſcitur; propterea effectus omnes ab aliqua effectrice cauſſa pendere neceſſe eſt. Sed quorum natura eſt autor, ea finalem cauſſam etiam obtinere illud manifeſtum cuique reddit, quod natura ex [e] *Ariſtotelis* decreto nihil agit fruſtra: ſed omnia, quæcumque producit, propter determinatum procreat finem. Monſtra igitur, quum ſint effectus naturæ; omnia obtinuere cauſſarum genera, materialem, formalem, efficientem, atque finalem. De quibus ſingillatim agendum eſt nobis, & primùm quidem generatim,

Generatio cur natura dicatur.

Natura præcipua forma eſt.

Ars non ſemper aſſequitur intentam formam.

Artis operatio unde denominetur.

Natura ſemper formam conſequitur.

Nullum factum caret cauſſa effectrice.

Effectio rerũ mutatio eſt.

Mutatio nulla ſine motore.

Motor quid.

Natura ſemper agit propter finem.

Nihil fruſtra.

[d] 8. phyſ. t. 4. 2. phyſ. t. 29.

[e] 1. cæl. t. 32. 2. phyſ. 49 75. & ſeq.

D 2

ratim, deinde verò etiam speciatim, Aristoteleam *f* methodum sectantibus; quæ à communibus, & confusis ad specialia, & distincta progredi consuevit. *f* 1. phys. t. 2. 3. 57.

CAP. VII.

Monstrorum causa finalis generatim quotuplex, quæque sit.

Monstra sunt effectus naturæ.

ALma rerum nostratium Natura parens, cujus effectus monstra sunt omnia, decreto Aristoteleo, *a* quum semper alicuius finis gratia præstet quodcunque operatur; quippe quæ nihil usquam frustra *b* efficit: quemadmodum in procreatione subcælestium animantium nullum sibi finem alium consequendum proponit, nisi perennem conservationem speciei eorum, quæ ob materiæ participationem in individuo *c* perpetua esse nequeunt: quo fine potitur generans unumquodque, procreando aliud sibi simile in specie aut essentiali, & accidentali simul; quæ figura dicitur; consistitque in proportione partium corporis, quod notavit *d* Porphyrius: aut saltem in essentiali: & in hac aut specialissima, aut subalterna, quæ genus etiam nuncupatur: Ita planè quum Monstra species sint viventium nostratium; nullum alium in sui procreatione finem obtinere debent nisi speciei generantium æternitatem: atributa enim cuiusque generis essentialia singulis aptantur speciebus *e* Aristotele doctore. Sed iste finis totius generis animatorum mortalium, ut communis est tum perfectis, tum etiam viventibus monstrosis; monstrorum finis proximus, ac proprius esse non potest; erit igitur communis, atque remotus. At verò finis proprius, ac proximus, quo à perfectis animantibus monstra discer-

Naturæ finis in generatione viventium qui.

Species à generante intenta quotuplex, quæque sit.

Generis essentialia singulæ speciei adsunt.

Monstri finis remotus, & communis.

a 2. phys. t. 42. 49. 75. & seq.

b 1. de part. cap. 5. 1. cæl. t. 32.

c 2. de an. t. 35. 2. de gen. an. cap. 1.

d cap. de specie.

e 2. top. 2. loc. 1: antep. c 3. 3. de plat. cap. 1.

cer-

cernuntur, alius est; nempè animantium perfectorum finis proprius est procreare sibi similia in specie tum secundùm formam, quæ animam respicit; tum etiam secundùm materiam; quæ in figura, & in membrorum corporis constitutione, atque organizatione consistit: organizatio enim quum sit dispositio, corpus apparans ad animam, quæ propterea definitur actus primus corporis naturalis [b] organici, ad materiam viventium refertur. Quum autem monstra sint errata naturæ in operatione sua impeditæ ne possit finem hunc totum integrè consequi: non valens efficere quod vellet, natura eadem vult, ac efficit quod valet; procreatque in eadem specie substantiali sibi simile animatum, sed in membrorum constitutione sibi dissimile. Quare finis proprius in generatione monstrorum, ac proximus est conservare perpetuitatem unius speciei essentialis generantium in individuis dissimilis conformationis; quum finis perfectorum animantium sit conservare perennitatem speciei & secundùm formam, & secundùm materiam, sive speciei essentialis simul, & accidentalis: In eo enim solo monstrorum finis à fine perfectorum animantium dissidet; quod monstrorum finis est portio finis perfectorum animatorum; siquidem peccatum naturæ monstra generantis est, quia non integrum finem consequitur sibi propositum, & à se desideratum; sed alteram illius partem; perfectiorem quidem, ac magis essentialem, nimirum formam specificam, & animam, & in ea speciei substantialis æternitatem; non adepta evidentiori parte, quæ constituta est in simili conformatione corporis. Ut ex his appareat non esse cum vulgo simpliciter asserendum; Naturam in monstrorum procreatione suo fine frustrari; totali quidem

Finis animantium perfectorum proprius.

[b] 2. de an. t. 7.

Organizatio disponit corpus ad animam.

Monstrorum finis proprius.

Peccatum naturæ monstra generantis, in quo consistat.

Naturam in monstri procreatione ut suo fine frustretur.

D 3 fine

fine frustrari videtur quoquo pacto, quia unam illius partem non assequitur, quæ sensui est evidentior; quod vulgo imposuit; at revera non frustratur suo fine; quia illius partem essentialem, ac potiorem assequitur natura monstra progignens. Ita ergo finis monstrorum est conservare speciem essentialem suorum genitorum in materia dissimiliter organizata.

CAP. VIII.

De Monstrorum caussa formali generatim, quotuplex, quæque sit.

Forma cum fine coincidit.

Visa finali monstrorum caussa, par est ut ad contemplationem formalis accedamus; quum hæ caussæ plerumque in unum coincidant [a] *Aristoteli*: [a: 2. phys. t. 70. & 81.] Quo factum est ut, quemadmodum de fine dudum ostensum est, monstra etiam obtineant duplicem caussam formalem; remotam, & proximam. Est autem remota monstrorum forma communis & aliis in eodem genere degentibus; quum enim ab [b] *Aristotele* [b: 1. post t. 5. & 30.] inter caussas remotas, & proximas discrimen illud essentiale positum sit, quod omnis caussa proxima est propria solius ejus effectus caussa, cui proxima dicitur; at remota est communis etiam alijs effectibus in eodem genere contentis; quumque id unicuique caussarum generi aptetur; propterea quando monstra sunt peccata naturæ in genere viventium; monstrorum forma remota communis erit forma cunctis animantibus, atque adeò forma proxima viventium quatenus viventia sunt; ea verò ad aures *Aristotelis* est in genere [c] substantiæ sita, & omnino anima; quæ definita est esse actus primus corporis naturalis organici. Forma igitur monstrorum remota est anima, quæ com-

Monstrorum forma duplex.

Discrimen caussæ proximæ à remota.

Caussa proxima quid habeat essentiale.

Monstra in quo genere sint.

[c: 2. de an. t. 2. 4.]

communis est viventibus etiam perfectis, quæ speciem constituunt monstro congeneam: dividitur enim animatum subcæleste in monstrosum, & benè conformatum. Sed animam esse monstrorum formam remotam illud etiam apertè demonstrat, quod anima definitur esse actus corporis naturalis organici; quo sitam esse materiam monstrorum remotam mox [d] ostendemus; adeò enim sese mutuò [e] respiciunt materia & forma, ut materiam remotam perficiens actus nequeat esse nisi forma remota. Ceterum specifica, & proxima monstrorum forma, viventia nostra in esse monstri constituens, nulla est alia, quàm mala corporis constitutio, deformisque membrorum organizatio, & omnino vitiata partium conformatio; quandoquidem [f] *Aristoteli* monstra formaliter sunt peccata, & errata naturæ generantis: Modo natura generans monstra errare ac peccare nequit in forma monstri remota: quum etenim ea sit anima; & anima sit natura una, & similaris, sive simplex; simplicia verò, & una vel assequantur omnino, vel penitus non assequantur caussæ productrices; nec ea partim assequi valeant, partim non assequi: si natura generans in constitutione viventis animam consequatur, iam vivens procreat nullo errore in animæ productione: sin autem animam procreare nequeat, planè haud gignet viventem substantiam; quare nec monstrosam. Quum igitur natura monstrum procreans constituat vivens, cujus forma est anima, quæ visa est esse monstri forma remota; jam constat naturam in monstri exortu non errare circa formam ejus remotam. Sed error naturæ in monstri procreatione consistit post animationem materiæ in ejus organizatione; siquidem natura generans animantia nostratia in sub-

Forma monstrorum remota quæ.

Monstri forma specifica.

Natura non peccat in forma monstri remota.

[d] cap. 6.
[e] 2. phys. t. 26.
[f] 2. phys. 82. & 4. de gen. an. cap. 4.

Error naturæ monstrum generantis in quo sit.

subditam sibi materiam, præter animam, quæ substantialis forma nuncupatur, miram accidentalem construit formam; quæ multiplicem membrorum variorum structuram, nexum, figuram, molemque complectitur: in qua conformatione variis modis potest natura peccare aliter efficiens ac efficere deberet admirabilem hanc animati corporis fabricam, sive numerum, aut molem partium diminuendo, adaugendove; sive membra transponendo è naturali sede; sive ijs debitam figuram, aut connexionem non attribuendo; sive partium substantiam in alienam commutando: de quibus erroribus [g] postea sigillatim fusius commodiori loco agemus. Quum itaque natura generans animantia nostratia in nulla re alia peccare valeat non rectè operans, præterquam in partium organizatione; quumque monstra sint formaliter naturæ peccata; jam evidens est formam propriam, & specificam monstrorum nihil esse aliud quam vitiatam membrorum corporis sub cælo viventis conformationem.

Varii errores naturæ in monstri origine.

[g] cap. 13. & toto 2. lib.

Monstrorum forma specifica quid sit.

CAP. IX.

De Monstrorum caussa materiali generatim, quotuplex, quæque sit.

A Monstrorum forma transeundum nunc nobis est ad eorum caussam materialem. Porrò materialis monstrorum caussa generatim, ut aliarum rerum omnium corporearum sub cælo degentium, [a] Aristotele autore, duplex est; altera remota, & communis; altera verò proxima, & propria: Quod vel ex eo elicere possumus, quia quum materia essentialem respectum habeat ad formam [b] Aristotelis decreto; eidemque viro quot modis unum [c] relativorum dicitur, toti-

Materia subcælestium duplex.

Relativa paria.

[a] 8. met. t. 16.

[b] 2. phys. t. 26.

[c] cap. de Ad aliq.

totidem dicatur & alterum: quando nuper visum est monstrorum formam duplicem extare, aliam quidem remotam, aliam verò proximam; geminam quoque materiam monstrorum esse necesse est, remotam pariter, & proximam: Inter hujusmodi vero caussas, ut dudum [d] vidimus, positum illud est essentiale discrimen ab [e] *Aristotele*, quod caussa proxima est propria solius ejus effectus caussa, cui proxima dicitur; ast remota est communis etiam aliis in eodem genere positis: quum igitur monstra sint peccata naturæ in genere animatorum contingentia; idcirco materia monstrorum remota communis erit materia cunctis animantibus subcælestibus, atque adeò materia proxima viventium nostratium, quatenus viventia sunt in genere substantiæ; unde, ut verbis [f] *Aristoteleis* utar, corpus naturale organicum constitui debet monstrorum materia remota; materia namque proxima generis evadit materia remota speciei. Materia verò monstrorum proxima est ipsum corpus animatum, seu vivens subcæleste; id enim nullius alterius rei præterquam monstrorum materia est; ut cuivis inductione per omnia materialia compertum fieri potest: quare monstri caussa materialis propria, & proxima generatim est corpus vivens subcæleste. Quod inde quoque demonstratur apertè, quia quum monstri ratio in mala conformatione consistere visa sit; organizatio verò à natura fiat operante in conceptum jam factum: quum [g] *Aristotele* doctore conceptus sit corpus vivens; Quippe quod fit ubi excrementum feminæ receperit à semine maris principium, quo animatum est: quod principium nil nisi anima esse potest, quæ vitæ principium est [h] *Aristoteli*: profectò materia viciatæ organizationis susceptiva, & proinde ma-

E teria

d cap. 5. e 1. post. t. 5. & 30.

f 2. de an. t. 6. & 7.

g 2. de gen. an. cap. 3.

h 2. de an. t. 36. 37.

Caussa remota quid habeat essentiale.

Materia monstri remota quæ.

Materia proxima generis est remota speciei. Materia proxima monstri quæ.

Organizatio fit post conceptionem. Conceptus quando, & quomodo fiat.

Anima vitæ caussa.

teria monstrorum proxima necessariò est corpus vivens subcæleste: Subcæleste inquam, quia monstra sunt ortui, & interitui obnoxia; cujusmodi non est cælum: corpus vivens, quia in solis viventibus propria monstra contingunt; quum in ceteris inanimis prodigia, & ostenta, portentaque contingere valeant in plerisque monstris similia, sed non verè monstra: vivens inquam absolutè, quia quum organizatio corporis humani fiat non solùm in utero, & primis diebus, quando *i Aristoteli* conceptus vivens vitam stirpis, unicam habet animam vegetalem; & procedente tempore, quando insuper suscepit sentientem, qua postea fit animal; verùm etiam extra uterum dum rationalem habens animam homo alitur; siquidem alimentum convertitur in partium substantiam, & earum configurationem recipit: quumque natura errans in conformatione membrorum semper monstrum constituat, sive peccet in organizatione prima dum fœtus solam habet animam vegetalem; sive in media, dum etiam sensitricem obtinens animal est; sive in ultima, dum homo natus est; ut nos docuit etiam *k Aristoteles*; quod infra *l* latius apparebit: propterea monstri materia proxima generatim non est vegetans solùm, non animal tantum, non homo; sed corpus vivens subcæleste universè sumptum. Idipsum ex eo item clarè demonstratur, quia non solùm in humana natura monstra contingunt, verùm etiam in brutis, & in stirpibus: quod *m* supra latius apparuit. Sic ergo monstrorum materia proxima est corpus subcæleste vivens generatim. Insuper autem quum materia propriè à physiologo non nisi per *n* formam cognosci valeat; namque potentia non nisi per habitum cognoscitur; materia enim potentia est *o Aristoteli*;

Organizatio fit etiam in adulto vivente extra matris alvum.

Monstra in brutis, & stirpibus.

Materia ut à physico noscatur propriè.

Potentia noscitur habitu.

i 2. de gen. an. cap. 3.

k 4. de gen. an. cap. 3.

l lib. 2. c. 18.

m cap. 5.

n 1. phys. t. 69.

o 1. phys. t. 82 & 2. de an. t. 2.

p 9. meta. t. 20. ſtoteli; cui p actus eſt abſolutè ratio cognoſcendi, & intelligendi: ſi materia monſtrorum proxima nihil aliud eſt, quàm id in quo ineſt eorumdem forma; q 2 phyſ. 4. & 2. de an. t. 4. quod monuit q *Ariſtoteles* aſſerens materiam ſimpliciter uniuſcujuſque id eſſe, in quo velut in ſubjecto inſidet forma, ceu natura potior in viliori: profectò quum forma propria monſtri dudum viſa ſit nihil aliud eſſe quàm deformis organizatio, malaque membrorum corporis conformatio: quumque organizatio, conformatioque deformis forma ſit inexiſtens, non quidem in anima viventis; non in corpore ut eſt quid ab anima contradiſtinctum; quia oculus, aut pes animam non habens æquivocè oculus, aut r 2. de an. t. 9. 4. de gen. an. c. 1. pes eſt r *Ariſtoteli* perinde ac lapideus, vel pictus; ſed mala organizatio quum ſit in toto compoſito ex anima, & corpore organico; conſtare liquidò jam poteſt materiam monſtrorum proximam nihil eſſe aliud quàm corpus ſubcæleſte vivens. Ceterum quia corpus ſubcæleſte vivens trifariam conſiderari poteſt, primò quidem ut animatum eſt, atque omnino ratione animæ; deinde verò ut corporeum quid eſt, ſeu ratione corporis; deinceps autem ut tertium quid eſt ex anima, & corpore æquè conſtitutum. Materia monſtri proxima Phyſiologo non eſt vivens quoad animam; nam corpus vivens ratione animæ malè conformatum monſtrum eſt metaphoricè, ac poëticum; illi enim vitioſos homines ab *Hercule* interemptos, monſtra ab eo edomita concinunt: Nos autem hic agimus de monſtris naturæ ad Phyſicum attinentibus. Neque verò materia monſtrorum proxima eſt totum vivens, ut tertium quid ex anima & corpore æquè conſtitutum; quia id monſtrum eſt integrum, non autem monſtri pars materialis,

Materia ex potentia. Actus eſt ratio cognoſcendi. Forma ut in materia ſit. Organizatio in quo ſubjecto ſit. Viventis triplex conſideratio. Monſtra Herculi domita quid fuerint.

si monstri formam obtinuerit: sin minus, jam nihil habet monstri; & est vivens perfectum. Reliquum est igitur ut monstri materiam proximam dicamus esse vivens subcæleste quoad suum corpus animæ subjectum, ac potius corpus viventis subcælestis, quàm corpus vivens subcæleste. Cujus ea ratio est, antea tacta; quia in hoc solo propriè inest monstri forma essentialis proxima; quum enim forma hæc monstrorum essentialis, eademque proxima, sit mala membrorum conformatio; membraque sint partes corporis viventis, *f Aristotele* doctore; propterea monstrorum materia proxima nil nisi corpus animati subcælestis esse dicenda est. Addo iterum monstrorum alia oriri ab initio in alvo materna simul cum organizatione fœtus, alia fieri extra uterum adultis jam animalibus ob malam organizationem alimento inditam in monstri naturam degenerantibus, observatione *t Aristotelis*; quum autem adultum animal monstrosam formam non induat nisi in suis membris quatenus sunt partes corporeæ subjacentes animæ; atque in alvo matris non organizetur nisi conceptus, in quo inest anima ut forma, quæ sibi præparat, & architectatur corpus, formatque idoneum ad operationes vitæ rectè obeundas; ut *u* alibi fusè demonstravimus; planè manifestò jam constat materiam monstrorum proximam non esse animam viventis, non illius corpus ut ab anima contradistinctum, non ipsum vivens totum ut æquè ex anima & corpore constitutum, non idem vivens ut animatum; sed vivens idem subcæleste ut corporeum quid, sive animans mortale quoad corpus, sive clarius corpus animantis mortalis animam in se habens.

Monstri materia proxima quæ.

Monstra quæ fiant extra uterum, quæ in utero.

f 2. de gen. an. cap. 1.

t vide in f cap. 18. 4 de gen. an. cap. 3.

u lib. de ort. an. hum. & lib De Vita.

De

CAP. X.

De Monstrorum caussa effectrice generatim, quotuplex, quæque sit.

SUperest, post aliarum explicationem, nunc manifestanda monstrorum caussa efficiens generatim. Sunt autem in effectrice monstrorum caussa eædem agentis proximi, & remoti differentiæ: sed præterea nonnullæ aliæ; quia proximum efficiens subdividitur in primarium, coadiuvans, secundarium, & instrumentale. Porro caussæ monstrorum effectrices remotæ duæ sunt; prima quidem est Deus Optimus eminenter cum agentibus omnibus naturalibus ad eorum effectus omnes producendos, functionesque obeundas nunquam non concurrens; à quo propterea rebus omnibus pendere esse, & vivere, his quidem clarius, his autem obscurius, pro uniuscujusque capacitate, docet [a] *Aristoteles*. Secunda verò monstrorum caussa effectrix remota est cæleste corpus, quod motu suo perenni, & luminis opera physicè gubernat omnia efficientia nostratia; quod novit, monuitque nos idem [b] *Aristoteles* alicubi statuens necessarium fuisse mundum hunc inferiorem contiguum extare supernis lationibus, ut omnis hujus virtus gubernetur inde. Proximum verò efficiens instrumentale monstrorum generationi deserviens est calor maternorum viscerum. Secundarium verò monstrorum efficiens est matris uterus. Coadiuvans monstrorum efficiens, quod in eorum generatione primario agenti cooperatur, est matris anima. Primarium verò monstrorum efficiens adhuc subdivitur in principium quod agit, in Scholis adæquatum dicitur,

Monstrorum efficientis differentiæ.
Proximum efficiens ejusdem rei multiplex.
Monstri caussæ effectrices remotæ quæ.
Cælum ut sit nostratium, ac monstrorum caussa.
Monstrorum instrumentale efficiens.
Secundarium efficiens.
Coadjuvans caussa.
Primaria duplex.

[a] 1. cæl. t. 100.
[b] 1. meteo. cap. 2.

Fœcunditas unde semini. & est seminis portio magis spirituosa; unde spermati fœcunditas inest, c *Aristoteleo* dogmate; atque in c 2. de gen. an. cap. 3.
Efficiens monstrorum immediatum, & principale. principium quo primo adæquatum efficiens agit, & est anima seminis, illi à parentibus indita, quatenus est facultas organorum corporis viventis constitutiva, non quidem absolutè, sed impedita ne finem sibi propositum integrè consequatur: secus enim vis organizatrix non impedita semper animantis membra sine ullo errore constituit; at errat in eorum conformatione solùm, quando aliqua ex caussa impeditur quò minus valeat munus suum rectè obire, ac proposito sibi fine integrè potiri. Sic ergo efficiens proximum monstrorum generatim est virtus formativa, constitutivaque, sive organizativa partium corporis viventis, residens ut anima, & forma in parte spirituosa seminis, illi à parentibus indita in suo munere obeundo impedita; quæ virtus in animante etiam adulto remanet nutrimento membrorum conformationem communicatura; ut d alibi fusè à nobis est d li. de ort. an. hum. demonstratum. Impedimenta verò huic virtuti membrorum viventis corporis conformatrici multa, multifariamque adveniunt à multis caussis; quas e infra e lib. 2. commodiori loco, agentes de speciali cujusque differentiæ monstrorum caussa effectrice, ac origine, latè considerabimus.

CAP. XI.

Propria Monstri generatim accepti definitio investigatur.

EX hactenus allatis monstrorum caussis nunc nobis proximæ omnes sunt seligendæ, quibus aptam monstri generatim accepti definitionem contexere

texere valeamus, intimam ejus essentiam, prius quàm ad specierum contemplationem descendamus, introspecturi; seligendæ sunt autem caussæ monstrorum propriæ, quia communes, & remotæ procul absunt à definitione; quæ definitum à quocumque alio disterminare debet, a Aristoteleo præcepto. Quum autem eodem autore b definitio quævis ex genere proximo rei definiendæ, ac tot differentijs essentialibus contexi debeat, quarum si unaquæque seorsum sit re definienda communior, omnes tamen simul conjunctæ illi c æquipolleant; quumque Aristoteli etiam ad investiganda rerum attributa latentia quæcumque in definitionibus assumenda sunt, mirificè conferat una d Divisio; necessarium nobis profectò fuerit abditiorem monstri definitionem divisionis auxilio indagare. Porro monstra vel in accidentium genere aliquo, vel inter substantias collocanda sunt: ea verò non esse accidentia id apertum facit, quòd corpora sunt vitam habentia, & animata; quæ omnia in genere substantiæ ab e Aristotele reponuntur. At verò substantiarum corporearum, quæ omnes f Aristoteli ex materia & forma constituuntur, aliæ sunt substantiæ non solùm ex parte materiæ, verùm etiam ex parte formæ, ut homo, leo, & id generis alia; quæ propterea purè substantiæ, ac maximè substantiæ rectè dicuntur: aliæ verò substantiæ sunt solùm ex parte materiæ, non item ex parte formæ; ut domus, navis, statua, quæ constituuntur in esse per figuram, quam esse accidentalem qualitatem nemo non novit ex g Aristotele; cui talia fieri h simpliciter, & esse substantias apertè decretum est; licet minus substantias esse i alibi confiteatur. Quum itaque Monstra constituantur in esse per miram deformitatem, quæ item

a 1. post. t. 20. 1. phys. t. 5.
b 3. met. t. 10. 7. meta. t. 43.
c 2. post. t. 17.
d 2. post. t. 4. & 21. 7. meta. t. 43.
e 2. de an. t. 3. & 4.
f 2. de an. t. 2.
g In Prædi. qualit.
h 1 phys. t. 62. & 63.
i 2. de an. t. 3.

Caussæ communes non sunt in definitione ponendæ.
Definitionis officium
Definitio ex quibus texatur.
Divisio ut definitioni conferat.
Monstri definitio ut indaganda.
Monstra non esse accidentia.
Viventia omnia substantiæ sunt.
Substantiæ corporeæ omnes compositæ.
Purè substantiæ quæ.
Substantiæ solùm ex parte materiæ, non ex parte formæ quæ.
Monstra, quo in esse constituantur.

Monstra substantiæ sunt non ratione formæ.

item ad qualitatem quartæ speciei redigi consuevit; non purè, ac maximè substantiæ, sed erunt substantiæ ratione materiæ solius, ut navis, domus, & statua, formam accidentalem obtinentia; quam esse miram, & abominabilem deformitatem in membrorum constitutione [k] antea novimus. Quoniam verò hujuscemodi viventia insigniter enormia possunt vel frequenter, seu etiam semper; vel rarò exoriri: monstra ex eorum genere non sunt, quæ semper, & frequenter eveniunt, sed rarò admodum contingunt: quod & [l] *Aristoteles* perspicuè nos docuit, & ratio convincit; quæ siquidem frequenter, aut semper accidunt, nullam videntibus incutiunt admirationem, quæ necessariò ubique provenit ex monstrorum inspectione; illa itaque rarò nascuntur. Quia verò rarò contingentium alia fiunt ex primario naturæ instituto; alia non: certum cuivis esse oportet monstra non fieri ex primario naturæ instituto; quia natura primariò bonum, [m] pulchrum, & perfectum, sibique omnino [n] consimile procreare intendit non solùm in specie substantiali, sed etiam accidentali; quum ex adverso monstra sint naturæ parentum singulorum dissimilia, imperfecta, & mirè deformia. Sed quæ non fiunt ex primario naturę instituto, adhuc in duplici differentia versantur; nam alia fiunt omnino præter naturam; alia verò ex secundario naturæ instituto: Quæ præter naturam fiunt, ea sunt quęcumque proveniunt ab efficiente violentiam naturæ inferente; vel ab eo, quod naturæ quomodocumque copulatum fuerit, nulli horum in actionibus natura cooperante: Quæ autem fiunt ex secundario naturæ instituto, à natura fiunt impedita ne possit optatum finem omni ex parte consequi: ubi enim natura efficere nequit opus perfectis-

Rarò contingunt.

Frequentia non mira, sed rara.

Monstra non ex primario naturæ instituto.

Quæ fiunt præter naturam quotuplicia, quæque sint.

Quæ fiunt ex secundario naturæ instituto.

k cap. 6.

l 4. de gen. an. c. 4.

m 1. phys. t. 81.

n 2. de an. t. 34. 35. t. magn. mor c. 10.

efficere nequit opus perfectissimum, quod vellet; efficit imperfectum quod potest: Immò verò & hoc naturæ commune cum arte video, ut non potens facere quod vellet, efficiat utraque quod potest. Scio plerosque cum ° *Philopono* monstra simpliciter asserere præter naturam; quibus non esse assentiendum ex eo patet, quoniam à natura fiunt, eaque non solum universali, ut existimavit *Joannes Grammaticus*, sed etiam à particulari suorum genitorum, licet impedita ne possit opus in suo genere perfectissimum, ac sibi simillimum procreare. Quare constituendum est monstra fieri ex secundario naturæ instituto propter aliquod impedimentum, ob quod quum nequeat illa perfectum, & pulchrum vivens constituere; potius quàm nihil efficere, vult deforme monstrum procreare; si non in membrorum conformatione, saltem in essentia, & forma substantiali sibi consimile. Monstri ergo definitionem essentialem jam ex his texere possumus asserentes Monstrum esse subcæleste vivens membrorum enormi constitutione videntibus horrorem cum admiratione incutiens, rarò admodum nascens, ex secundario naturæ instituto genitum propter aliquod impedimentum in principiis suæ conformationis.

° 2. phys. t. 75. pag. 47. col. 3. 2. phys. pag. 32. col. 1.

Non potens facere quod vellet, natura & ars efficit quod potest

Monstra non esse præter naturam.

Sed ex secundario naturæ instituto.

Monstri definitio.

CAP. XII.

Inventa Monstri definitio explicatur

AD exactam verò essentiæ monstrosæ dignotionem operæ pretium est allatam definitionem particulatim magis ex *Aristotelea* doctrina manifestare. Monstri sanè genus proximum, quod *Porphyrio* in

Genus in definitione substantiæ quid explicet.

Monstri genus proximum. [a] in definitione substantiæ definiti materiam propriam explicare debet, nihil aliud est quàm subcæleste vivens; à quo genere tum cælestia corpora, in quibus nulla deformitas, nullaque inest partium mala conformatio; tum inanimata omnia excluduntur; in quibus etsi monstrorum imagines aliquando reperiantur; ut in nubibus centauri; vera tamen monstra unquam fieri non possunt. Includitur autem in hoc genere monstri non solùm humana species, brutorumque animalium genus, verùm etiam stirpium universa natura; quæ tres numerantur viventis subcælestis supremæ species: In plantis autem perinde atque in animalibus monstra contingere apertè colligas ex [b] superioribus. Est itaque monstrum generatim subcæleste vivens. Cui quidem generi statim adjecta est in definitione differentia essentialis à specifica monstri forma desumpta: materia enim proxima quum essentialem, & immediatam habeat habitudinem ad formam, immediatè illam sibi uniri postulat; consistit autem monstri forma specifica in membrorum corporis enormi conformatione, horrorem, & admirationem, ob rei novitatem, videntibus incutiente: Qua differentia procul arcentur à monstrorum numero tum gibbi homines, & claudi, & sedigiti nascentes, qui frequenter oriuntur; non minus quàm nigra uva exorta ex vite CAPNEO albam ferre solita ex [c] *Aristotele*; quique sine horrore, aut admiratione visuntur: tum quoque porcus, rana, serpens, elephas, quibus mulieres fuere matres, & lepus ab equa editus, & puella candida ex æthiopibus parentibus orta, & vicissim nigra ex candidis; quia in horum viventium corporibus nulla deformitas extitit, malave conformatio, nullaque configuratio

Marginal notes: Cælo nulla deformitas. — Inanimata non sunt verè monstra. — Amplitudo generis monstrorum. — Differentia monstri specifica à forma deducta. — Materia quæ immediatè sibi uniri formam postulat. — Monstra quæ non sint licet malè constructa; & parentibus dissimilia in essentia.

[a] Cap de Diff.

[b] Cap 5.

[c] 4. de gen. an. cap 4.

tio videntibus horrorem, aut admirationem afferens; quamvis horum origo ex parentibus adeò dissimilis naturæ monstrosa fuerit: quare *Plato* [d] scitissimè non absolutè monstra, sed quasi, monstra, & veluti monstra nuncupavit vitulum ab equo genitum, & equum à bove ortum. Idipsum censeas de leone ab ove genito, cujus historiam retulit [e] *Cælius* in antiquis suis lectionibus. Ceterum nos hic monstra propriissimè dicta definimus, non autem res quomodocumque monstrosas. Est itaque Monstrum vivens subcæleste membrorum vitiata constitutione videntes in horrorem, & admirationem illico rapiens, raro admodum enascens. At verò quia definitionis perfectæ munus est [f] *Aristotelis* præscripto distinguere in singula, nempe tum singula definiti attributa essentialia distinctè explicare; tum rem definitam à singulis aliis disterminare; propterea in monstri definitione haud satis est genere proximo materiam propriam, & differentia priori formam illius expressisse; verùm ulterius oportet formali differentiæ duas alias adjungere, quarum altera exprimat monstrorum caussam finalem, altera effectricem; quò possit integra monstrorum essentia comprehendi. Ac sanè finalis caussa monstri generatim per id insinuatur, quod monstrum fieri dicitur ex secundario naturæ instituto; quum enim ex [g] *Aristotelis* observatione haud uno in loco, agentia cuncta naturalia, & speciatim viventia nostratia omnes operationes suas in eum finem dirigant, ut pro suæ cujusque naturæ captu æternitatem assequantur, cujus participatione Deo summo similia quoquopacto fiunt; peculiari tamen ratione viventia caduca nequeuntia sese in individuo perpetuare, per generationem so-

F 2 bolis

[d] In Cratylo.

[e] lib. 13. cap. 14.

[f] 1. phys. t. 5.

[g] 2. de an. t. 34. 35. 2. de gen. an. ca. 1.

Origo monstrosa eorum quæ monstra non sunt.

Definitionis perfectæ munus. Locus Arist. illustratus.

Agentium cunctorum naturalium finis.

Mortalia ut æternitatem assequamur.

bolis sibi similis omni student ingenio æternitatem in specie consequi, eaque sibi & in essentiali, & in accidentali forma consimillima; quod est primarium agentis institutum in generatione sobolis: ubi autem nequeat, quod primariò intendit, sempiternitatem speciei specialissimæ per consimilis omnino individui generationem adipisci; secundario quodam instituto efficiens quod efficere potest, sese vergit ad conservationem aut generis propinquioris, aut etiam suæ speciei quomodocumque in individuo, si in conformatione corporis dissimili, saltem in identitate speciei secundum substantialem formam non vario. Caussa denique monstrorum effectrix, quæ impedivit ne agens subcæleste generans prolem sibi consimilem ad amussim procrearet, sed coactum fuerit vitiata membrorum constitutione monstrum generare, vitium est in aliquo principio eorum, quæ animantis conformationi sunt necessaria; sive id sit materiæ inopia, sive copia, sive prava dispositio, sive instrumentorum ineptitudo, sive primarii agentis imbecillitas, sive cooperantis affectio vehementior, sive quid aliud; atque ideo scitè [b] *Aristoteles* monstra sanxit alicubi esse oblæsiones quasdam, sive prævaricationes, & excursus naturæ, ac omnino peccata ejus efficientis, quod propter aliquid agit. Et sanè per has duas differentias postremas monstra propriè dicta distinguuntur ab iis, quæ vulgo monstra existimantur; quum habentia monstrorum imaginem, verè tamen monstra non existant; atque hujusmodi sunt si qui sunt *Pygmei*, *Cyclopes*, *Gigantes*, *Monopodes*, *Tritones*, *Syrenæ*, *Satyri*, *Cinocephali*, *Acephali* faciem in pectore obtinentes (de quibus [i] *D. Augustinum*, [k] *Plinium*, *Jodocum* [l] *Hondium*, *Levinum*

[b] 2. de gen. an. cap. 4. 2. phys. t. 82.

Vulgi monstra per allatam definitionem excludunter à monstrorum cœtu.

[i] 16. de civita. Dei cap. 7.

[k] lib. 7. c. 2.

[l] Descrip. Reg. Gujan.

Levinum Hulſium, & Gualtherum Ralegh teſtimonium perhibuiſſe nos dudum obſervavimus in opere noſtro [m] *De Vita*) & alia multa ſive in mari, ſive in terra viventia, ex parentibus eam ſpeciem, & membrorum conſtitutionem naturaliter habentibus in *Africa*, in *Aſia*, & ſpeciatim apud *Indos* originem ducentia; nullam etenim hæc vulgi monſtra obtinent monſtri conditionem, una excepta membrorum ſtructura monſtrorum conſtitutionem æmulante; nam & in ſuis regionibus frequentiſſimè, immò verò quotidie naſcuntur, ut apud nos homines perfecti; nullamque incolis admirationem, nullumque inferunt horrorem; ac fiunt ex primario naturæ inſtituto, ut parentes in ſpecie per omnia conſimili perpetuentur; nec in eorum conformatione ullum reperitur vitium impediens organizantia principia. Ita ergo tota veri monſtri generatim accepti eſſentia quoad ſingulas ſui partes & cauſſas ea definitione mirificè comprehenditur, qua conſtitutum eſt Monſtrum eſſe vivens ſubcæleſte membrorum vitiata conſtitutione videntibus horrorem cum admiratione afferens, raro admodum naſcens, genitum ex ſecundario naturæ inſtituto propter aliquod impedimentum in cauſſis ſuæ originis.

[m] li. 1. c. 18.

CAP. XIII.

Monſtri diviſio in ſuas ſpecies ſupremas multiplex affertur, ſed aptior eligitur.

HActenus de Monſtrorum cauſſis generatim: comminus aggredi nunc oportet ad ſingulas eorum differentias, ſeu ſpecies; hæc autem Diviſio- *Monſtrorum theoria ſpecialis.*

nis opera sunt primùm inveniendæ, mox sigillatim explicandæ, atque in suas quæque caussas referendæ. Tria verò quum sint in monstro, penes quæ in varias species partiri potest, materia proxima, tempus originis, & forma essentialis: Quando materia monstri proxima dudum visa est esse subcæleste vivens, sive corpus viventis nostratis; penes eam duplex divisio monstri fieri potest: prima quidem monstri divisio est in tria suprema genera, quæ sunt monstrum vegetativum, sensitivum, & intellectivum; siquidem totidem sunt subcælestium viventium supremæ species, planta, brutum animal, & homo. Verùm quoniam homo ita est rerum omnium mensura, ut in ejus origine theoria nostratium viventium reliquorum aptè contineatur; & quia in analogis sat est scientifico notitiam habere de præcipuo, in quo cetera omnia virtute dignoscuntur: propterea quum in monstrorum genere humana principem sibi locum vendicent, de humanis monstris speciatim agere volentes, parum ab allata divisione adjumenti haurire valemus: alias itaque monstri divisiones consulamus. Altera verò divisio monstri à materiali principio petita erit pro varietate membrorum corporis, in quibus conformatio vitiari potest: penes quam licet solius humanæ naturæ omnia monstra recenseri valeant, ut homines monstroso capite, pectore, brachijs, ventre, cruribus, & id generis; minus tamen apta est metdodo scientificæ, quia quum plures partes eamdem speciem malæ conformationis habere possint, cogeremur inutiliter easdem monstrorum origines, & caussas in variis partibus repetere. Quare nobis usui non sunt monstri divisiones à materia petitæ; ad alias ergo accedamus. Porro tempus originis

E tribus fontibus monstri divisio in species.

A materia monstri duplex divisio.

Prima.

Exploditur.

Quia sat est novisse caussas monstri humani.

In primo analogato nosci cetera virtute.

Monstri divisio secunda.

Exploditur.

Quia repetitionis inutilis origo est in theoria.

Monstri divisio tertia.

ginis monstrorum duplex observatur ab [a] *Aristotele*; quippe aliqua monstra fiunt à natura extra uterum maternum; sic *Athletas* quosdam prius benè formatos in monstra degenerasse testatur Præceptor eximius; aliosque item faciem humanam in vultum diversi animalis commutasse; qua de re latius [b] infra cum *Aristotele* tractabimus: sic expositum infantem factum quadrupedem judicat [c] *Cardanus*, educatumque in sylvis, ferarum indulgentia ferinos cum lacte induisse mores, vultus, ungues, & caudam emisisse; taleque monstrum in *Misnia* captum; & ejuscemodi etiam *Magni Alberti* ævo duos, masculum & feminam homines quadrupedes in *Germaniæ* nemore captos multò antea subjungit *Cardanus*: cui tamen assentiri nequeo, quia *Magni* etiam *Alberti* [d] testimonio hæ feræ fuere de Simiarum genere in multis partibus humanam figuram referentium; nam homini caudam è sylvestri victu enasci probabile non est. Nec similiter verum putamus, quod in proposito affertur ex [e] *Platone* de *Glauco marino*, eum scilicet fuisse hominem piscatorem, cujus posteriora membra in piscem mutata sunt, veteribus corporis partibus partim fractis, partim contritis, & à fluctibus penitus obtruncatis, ut cuivis magis bestiæ similis sit, quàm qualis natura erat: nam mera est fabula hæc, non historia *Glauci*; novimus enim *Platoni* apologos esse usitatiores. Verum tamen habemus è sacra pagina [f] *Nabuchodonosor* Regem ab hominibus ejectum septem annis nemora cum bestiis habitasse, fœnum bovis instar comedisse, capillos ejus in similitudinem aquilarum crevisse, & ungues illius quasi avium: sed hoc supra naturæ metas dici potest fuisse miraculum; adeò ut *Athletæ* soli, &

[a] 4. de gen. an. cap. 3. & 4.
[b] cap. 18.
[c] lib. 18. de subtil.
[d] 22. de animal. tr. 3. cap. 1.
[e] 10. de Republ.
[f] Dan. c. 4.

Monstra extra matris uterum facta.
Infans expositus in feram degeneravit Cardano.
refellitur Cardanus.
Glauci marini monstrosa forma.
Purum figmentum.
Nabuchodonosor feram ut indueret.

& alii homines ab [g] *Aristotele* commemorati extra uterum degentes ex perfectis viventibus in monstra degeneraverint nulla dubitatione puris naturæ viribus; quum certò constet longè plurima in utero matris monstra procreari. Ceterum hæ duæ monstrorum species nimis confusam, & communem eorundem theoriam nobis exhibent; quum exquisitam propositi argumenti desideremus in hoc opere. A formæ igitur essentialis varietate monstrorum species omnes præcipuas hauriamus; sic etenim scientifica magis divisio fuerit; siquidem actus est, qui separat, & distinguit, apud [h] *Aristotelem*; potissimumque actus essentialis specificas differentias constituit. Quum autem essentialis monstrorum forma sit vitiata, insueta, & mira membrorum corporis compositio; penes eam primò dividitur monstrum in uniforme, ac Multiforme: monstrum uniforme illud est, quod habet partes referentes membra viventis unius speciei; Monstrum verò multiforme constat ex partibus membra viventium diversæ speciei æmulantibus. Subdividitur autem hoc utrumque genus monstri propriè dicti varias in species; nam monstrum uniforme aut est mutilum, ut infans absque cruribus ortus, absque brachiis; aut est excedens, ut puella biceps; aut est monstrum ancipitis naturæ, ut infans duplici capite sine pedibus; aut est monstrum difforme, ut infans habens membra transposita, oculos in pectore, manum in collo, testiculos intra ventrem reconditos; aut est monstrum informe, ut infans rotundus [i] *Hippocratis*; aut est monstrum enorme, ut infans semilapideus. Monstrum verò multiforme subdividitur in illud, quod constat ex partibus variorum individuorum in eadem specie, ut mulier virili capite;

Rejicitur tertia monstri divisio. Quia nimis confusam theoriam faceret. Quarta monstrorum divisio recipitur à varietate formæ. Actus distinguit, qui, & quomodo Monstrum uniforme quod sit. Multiforme quod. Monstrum mutilum. Excedens. Anceps. Difforme. Informe. Enorme. Multiforme in eadem specie.

[g] 4. de gen. an. c. 3.
[h] 7. meta. t. 49.
[i] 2. sect. epid. 2.

capite; atque in illud, quod coagmentatur ex partibus membra viventium diversæ speciei in eodem genere propinquo referentibus, ut infans semicanis, centaurus, minotaurus; & in id, quod constat ex partibus membra viventium diversi generis propinqui æmulantibus, ut puer anserinis pedibus, & alatus, & faciem habens ranalem, ex humanis membris & avium; imperfectiorumve animantium partibus constitutus: ac denique monstrum multiforme constare poterit ex membris referentibus partes viventium in vario genere penitus; ut homo semidæmon ex muliere natus. Dæmon enim assumpto corpore vivens est æquivocè, ut fusè demonstravimus in libris k *De Vita*. Decem itaque sunt supremæ monstrorum species, ex formæ illorum specificæ varietate deductæ, nimirum monstrum uniforme truncum, excedens, ancipitis naturæ, difforme, informe, enorme, Multiforme constans ex partibus diversa viventium in eadem specie individuorum membra referentibus, constitutum ex partibus diversas viventium in eodem genere proximo species æmulantibus, consarcinatum ex partibus diversi generis proximi, & coagmentatum ex partibus diversi generis omnino naturam æmulantibus. Atque hæc de *Monstrorum Caussis, natura* & *differentiis* generatim dicta sint satis.

Multiforme in diversa specie. Multigener.s

Semidæmon.

k lib. 1. c. 511

Monstrorum species omnes ad decem redacta.

Finis primi Libri.

G FOR-

FORTUNII LICETI
DE
MONSTRORUM CAUSSIS,
Natura, & Differentiis,
LIBER SECUNDUS,
In quo speciatim agitur de Monstris humanis.

PRÆFATIO
Attexens dictis dicenda, & dicendorum ordinem promulgans.

E*Xplicatis in superiori contemplatione* caussis, natura, *&* differentiis *monstrorum generatim; ordo naturæ postulat, ut ad eadem attributa in singulis monstrorum generibus aperienda nunc aggrediamur. Verùm quoniam quæcumque in plantarum, & brutorum animalium monstris considerari possunt, eadem illustriora de proposito, & locupletiora sunt in monstris humanis; propterea operæ pretium fore arbitramur, si ex professo, primarioque instituto de his speciatim agamus; originem Hominis monstrosi, & caussam communem in primis adeuntes; illius differentias mox sigillatim patefacientes; ac unamquamque demum in suas caussas immediatas ex rei natura resolventes ea methodo, ut uniuscujusque speciei seorsum primò existentiam,* [a] *dudum leviter tactam ex histo-*

a 1. lib. c. 3.

historicis, fusius comprobemus; deinde verò generationem propriam ex suis caussis proximis deducamus, rei naturam semper consulentes; & propositum [b] *antea ordinem in iis differentiis investigandis observantes.*

b lib. 1. c. 13.

CAP. I.

Origo, & caussa monstrorum humanorum communis quæ, & quotuplex esse valeat.

QUum tot, taliaque sint principia ad humani corporis fabricam ædificandam concurrentia, quot qualiaque vidimus in opere *De perfecta constitutione hominis in Utero*, semina parentum, eorumdem animæ, imaginationes, maternus sanguis, uterus, intelligentiæ, cælum, Deus Optimus; ut certum est unicuique, ubi ea omni labe caruerint, hominem perfectum constituere; ita ubi eorum aliquod, vel plura quomodocunque vitiata fuerint, humanum genus in varias monstrorum species planè deformant. At de monstrorum generatione speciatim acturos, illud in primis, quotuplex, quæque sit eorum communis origo, & caussa, explicare oportet. Qua quidem in re triplicem absolutè putamus fieri posse monstrorum procreationem; unam quidem supranaturalem à summo Deo in pœnam perpetrati sceleris homines deformante; quod legimus in sacra pagina *Nabuchodonosor* [a] Regi contigisse: alteram verò infra naturam, à Dæmone malo illudente sensus humanos; ut accidit maleficio transformatis; tertiam autem merè physicam, ob aliquod vitium, ac impedimentum in principijs naturalibus humanorum corporum conformationi destinatis. Nostri muneris non

Monstrorum generatio triplex absolutè.

Supra naturalis.

Infra naturam.

Physica.

a Dan. c. 4.

Eligitur explicanda postrema. est neque miraculosam, neque illusione à malo dæmone fictam monstrorum originem perscrutari; agemus autem solùm de naturali. Monstra verò quum in sua physica generatione quatuor obtineant caussarum genera; una tantummodo caussa efficiens reperitur, quæ eadem numero monstris omnibus communis esse potest: Quum etenim monstri forma essentialis una sit corporis figura, & conformatio; certum cuivis est non unam communem monstris omnibus esse figuram, & conformationem; quando alia sunt quadrupedia, sine pedibus alia; alia brachiorum expertia, duplici alia capite, alia bicorpora, & alia conformationum aliarum. Materia verò monstri communis una est subcæleste vivens, quæ non individui, sed generis habet unitatem: monstri verò humani materia omnes monstrorum species recipiens nec ipsa est una numero, nec specie, sed genere solùm; nam pleraque monstra humanorum homines sunt; alia ex congressu hominis nefario cum belluis orta, quapiam ex parte humanam effigiem referentia, bestiæ sunt; alia semibestiales homines; ut [b] infra patebit. Caussa item monstri finalis non est una specie, sed genere tantum; immò verò duplex; conservatio aliàs solius speciei essentialis, aliàs unius generis; & vitæ operatio. Una caussa efficiens monstris omnibus communis est tum Deus Optimus, tum Intelligentia motrix, tum etiam cælum. At verò Deus Optimus caussa est remotissima, & communissima supernaturalis, & supernaturaliter, ac eminenter concurrens cum omnibus agentibus infra se positis ad quorumlibet effectuum productionem; ut monuit aliquando [c] *Aristoteles*, asserens à Numine supra extimam lationem, ubi neque tempus, neque motus, neque locus, neque corpus

Monstrorum quatuor caussarum genera.

Caussa efficiens una communis esse potest omnibus monstris.

Monstra non omnia uniformia.

Materia non una omnium monstrorum.

Caussa finalis monstrorum omnium non una.

Deus ut monstrorũ caussa.

Deus ubi Aristoteli.

[b] Cap. 58.

[c] 1. Cæl. t. 100.

corpus, neque vacuum est, beatissimam, & sibi sufficientissimam vitam vivente, rebus omnibus aliis pendere esse, & vivere, his quidem clarius, his autem obscurius: cum ceteris autem agentibus Deum summum non physicè, sed eminenter concurrere diximus, quia sine motu concurrit; omnis autem [d] actio physica vel motus est [e] *Aristoteli*, vel non sine motu. Intelligentia verò infra Deum motrix caussa est item post Deum maximè communis, & remotissima omnium effectuum corporeorum; à qua veluti à principio & cælum [f] *Aristoteli*, & tota natura dependet physicè; [g] quia per motum à se in cælesti corpore facta cuncta corpora conservat, & moderatur, generabilia verò etiam producit. Cælum item est caussa tertio loco remota, & communium eventuum subcælestium [h] physica, & physicè agens; quia & corpus est mobile, & non sine motu operatur; quod alibi [i] docuit idem *Aristoteles* inquiens necessarium fuisse mundum hunc inferiorem contiguum extare supernis lationibus, ut omnis hujus mundi virtus gubernetur inde. Verùm quoniam decreto [k] *Aristotelis* caussæ communes, atque remotæ non pariunt exquisitam propositi scientiam; propterea his omissis ad propinquas monstrorum singulorum caussas accedamus, à quibus illorum differentiæ singulæ proveniunt.

[d] Gilb. porr. ca. de Actione.
[e] 9. meta. t. 7.
[f] 2. Eudemior. c. 5. 12. meta. t. 38.
[g] 2. physic. t. 26.
[h] 1. Cæl. t. 5. & seq.
[i] 1. meteo. cap. 2.
[k] 8 meta. t. 12. 1. post t. 19. 20. 23. 24. 2. physs. t. 38.

Actio physica est cum motu

Intelligentia ut sit monstrorũ caussa.

Cælum ut sit monstrorum caussa.

Cælum non agit sine motu.

Caussæ quæ non pariunt scientiam.

CAP. II.

Monstrorum in humana specie mutilorum realis existentia ex historicis elicitur.

NE quis autem arbitretur inventas in [a] præcedenti libro monstrorum differentias esse quidem intellectu excogitabiles, at revera nunquam omnes in rerum natura fuisse, ac præsertim nunquam in humano genere compertas esse, aut inveniri posse; licet olim pleraque illorum exempla ex historicis [b] attulerimus; operæ pretium, immò verius necessarium duximus nunc distinctè magis singularium specierum monstrosæ figuræ in hominibus realem existentiam comprobare ex monstris ortis maximè post adventum Christi Domini; nam superiorum plurima nata sunt ante Divini Verbi Incarnationem. Sic ergo à monstris mutilis exordio sumpto specialem hanc theoriam aggrediamur. Porro in Monstrorum mutilorum genere *Ctesias Gnidius in Persicis* asserit *Roxanem Cambysis* uxorem peperisse puerum capite carentem: cui Magi dicebant, hanc prodigii significationem esse, nullum regni successorem à *Cambyse* relictum iri. Dein *Ioannes* [c] *Gualtherius* diligens Chronista ex *Rubeaquense* multa recensuit inquiens, In pago *Dirlistorf* natus est puellus corpore quidem benè compacto, cui tamen brachia, pedesque ob naturæ defectum non conveniebant; dextra enim manus quum omnino deesset; eo loco, quo pollex esse solet, carnosus tumor instar verticuli, aut nucis parvæ eminebat; sinistræ autem manus pars dimidia in tres tantum digitos, sed planè conjunctos, ut pedes quoque in totidem digitos desinebant: Educatus autem non tantum cibum

Anno Domini. 1492.

[a] cap. 13.

[b] 1. lib. c. 3.

[c] tom. 2. Chron. Chroni. polit.


bum potumque monstrosis manibus capere; sed numerare pecuniam, subducere rationes, easdemque elegantissimis litterarum characteribus rationum libro assignare potuit; quemadmodum alia omnia, quæ aliàs manuum auxilio ab hominibus fieri solent: Vixit ultra sexaginta annos vividus, ac obeso corpore senex. Infans etiam in *Hassia* ceteris benè distinctis 1503.
membris natus est, auribus tamen, oculis, ac naribus omnino carens, solumque oris hiatum obtinens in facie. Alius *Wittembergæ* sine capite ortus. Puellus 1525.
alibi postea exoritur, qui brachiis penitus orbatus, 1528.
reliqua corporis forma rectissima fruebatur; pedibus, quum ad vigesimum ætatis annum pervenisset, vice manuum mirè utebatur, accipiendo, secando, ori inserendo, nec non etiam alea, & chartis colludendo.
[d] lib. 23. cap. 6. Hunc se *Lutetiæ* vidisse [d] *Paræus* confitetur quadragenarium; quadrato corpore, omnia quæ manibus perfici solent, munia obeuntem; humeri enim trunco, & capite, colloque vibrato securim in palum oppositum tam certo, & valido ictu, quàm manu quivis alius vir ejaculabatur; aurigæ flagellum tanta vi distringebat, ut aëre validius percusso resonaret; ceterum pedibus edebat, bibebat, chartis lusoriis, & talis colludebat. Tandem latro, & sicarius deprehensus ex furca strangulatus rotæ affixus est. Infelici natura benigna parens brachia, manusque tradere noluerat, ne furta, & cædes patraret; in quæ tamen vitia seu siderum, temperamentive inclinatione; seu potius mala educatione turpiter collapsus, meritas infamis vitæ pœnas capite luit. Ejus hanc effigiem antea vidimus.

In



In eadem ſpecie monſtri mulier ejuſdem agilitatis *Paræo*, & aliis viſa eſt, quæ manibus omnino carens, arrepta pede pluma litteras non tantum elegantiſſimè pingere; ſed tractare colum, nere, numerare pecuniam, ac ſubtiliſſima quæque pedum digitis
1531. conficere potuit. *Auguſtæ Vindelicorum* *Delrij* Diſq: mag to.1. lib.2.q.14.
quoque teſtimonio mulier primo peperit caput humanum membranis involutum; mox bipedem ſerpentem, cui Lucij piſcis caput, corpus ranæ, pedes & cauda lacertæ; tertio porcellum. In villa *Nepritz* non procul ab oppido *Wurtzenſi* ad *Moldam* ſito, natus eſt infans ſine pedibus *Jobi* etiam *Fincelij* teſtimonio. lib. de mira.

My-



Myſenæ ortus eſt infans diviſo in fronte craneo, unico crure, ſine labijs, oris loco exiguum habens foramen, reliquo truncatus corpore. In ditione Principis Palatini Electoris, in pago Horeshan, in valle Zellina infans muliebri ſexu ortum habuit monſtroſo aſpectu, ſine oculis, carens auribus, aperto, & lato ore, corpore ubique lacero, ac in pleriſque membris excoriato ſimili. Widensbachi, quod parùm à Schleuſinga diſtat, Fincelij quoque relatu, monſtrum natum eſt ex muliere, quod infantem abſque pedibus referebat, eorum loco habens demiſſam cuſpidem; à femoribus etiam cuſpides prominentes obtinens in hanc effigiem.

Anno Dom. 1552.

1553.



1585. Romæ anno Domini millesimo quingentesimo octuagesimo quinto, visus est vir trigesimum secundum natus annum, coxis, & cruribus, pedibusque infantis nuper nati partes consimiles magnitudine non æquantibus, supernis membris debitam
1554. ætati molem obtinentibus. In Misnia infans natus est absque capite, oculorum effigie in pectore
1556. expressa, Fincelij relatu. Basileæ infans natus est masculus, carens auribus, earum loco habens duo tantum foramina, sic tamen clausa, ut nihil in-
1557. de audire potuerit: vixit octo menses. Ibidem postea infans etiam natus corpore satis quidem benè compacto, sed sine collo, monstrosa planè facie,

cie, oculis insolitæ magnitudinis, quasi in fronte sitis: superior capitis pars illi omnino deerat: in occipitio foramen erat satis amplum, ex quo sanguinis aliquantulum fluebat; statim ab ortu occidit. Paræo referente, qui se id monstrum Lutetiæ vidisse testatur, puer novem annos natus in Parpavilla pago, sex à Guisio oppido miliaribus, Petro Renardo, & Matre Marqueta genitus est, cui 1564.
duo tantum digiti in dextra manu erant; brachium haud invenustè à summo humero ad cubitum usque deformatum; sed inde ad extremos duos digitos valdè deforme visebatur: cruribus carebat; quamquam à nate dextra pedis imperfecta quædam velut figura quatuor tanquam digitis distincta proferre se videbatur: à sinistræ verò natis medio duo digiti prosiliebant; quorum unus genitali virili haud erat absimilis. Puellam ortam sine brachijs, quæ pedibus omnia propemodum officia muliebria peragebat, nos Patavij habuimus non ita pridem à circulatore per orbem à spectaculo propositam.



Romæ anno M D LXXXV. viſa eſt octennis puella decora facie, ceteris membris belliſſimè formata, cui ab origine deerant crura, & coxarum partes inferiores. Revera igitur ſunt monſtra mutila.

C A P. V.

Origo, & prima cauſſa monſtri uniformis mutili educitur ex propriæ materiæ defectu.

Pygmæi cur non ſint monſtra.

MOnſtra in humano genere uniformia mutila non ſunt pumiliones, quos vulgò nuncupant Pygmæos: tum quia hi frequentes ſunt, & ex puſillis parentibus orti naturam non referunt ſuo fine ulla ex parte fruſtratam; tum quia nullam deformitatem

tem habent, nec vitium in caussis suis: sed monstra mutila sunt, quibus cum turpitudine insigni aliqua pars deest, vel adest imminuta: Horum originem referunt omnes in purum materiæ defectum; nec ulterius afferunt viri sapientes, cujus materiei defectu, & quomodo talis defectus contingat in materia, confusam nimium, ac rudem propositi doctrinam exhibentes: quum effectum non resolvant in caussam primam; quod negocium injunxit naturali Philosopho [a] Aristoteles; quærere namque possumus quæ, quomodo, & cur deficiat materia in constitutione fœtus aliqua determinata parte mutili. Nos hic distinguendum putamus; aliud enim est monstrum mutilum, cui deest magna pars corporis, ut exos ille fœtus [b] Hippocraticus, expes puella, vir sine brachiis, & caput membranis involutum partu editum ab Augustana muliere; aliud est monstrum cui deficit non ita magna portio corporis, ut monoculus infans, unimanus, auribus, nasove ab origine carens: Profectò monstrum magno truncatum membro nascitur semper ex defectu materiæ, non quidem cuiuscumque, sed illius determinatæ, quæ illarum partium constitutioni propriè dicata est à natura, primam, sui originem habens ex eo, quod superabundavit partibus ejusdem ordinis in corpore parentum; scilicet infans exos in sui constitutione non habuit in semine parentum eam portionem crassam, quæ ortum ducere solet ex alimento redundante nutricatui paternorum, ac maternorum ossium: defecit autem ea portio seminis parentum, vel quia nutricationi suorum ossium ob aliquod vitium nihil superabundaverit; vel quia superabundans materia inepta fuerit ob sui crassitudinem, quæ in venas arctissimas regrederetur, per

Monstra mutila, quæ sint

Effectus in quam caussam sint resolvendi.

Monstri mutili divisio.

Monstra mutila quæ sint ex defectu materiæ, & cujus.

Infans exos cur genitus.

Deficere cur possit determinata portio seminis.

[a] 2. phys. t. 27. & 38.

[b] sect. 2. epid. 2.


quas ad ultimam seminis prolifici officinam perveni- re posset; vel quoniam ad testes delata in semen perfectum commutari nequiverit, seu sua, seu testium culpa; vel quoniam ab aliquo seu calore uteri nimio dissipata, seu frigore ambientis concreta; vel quia in alium usum consumpta fuerit, reliqua seminis, & sanguinis substantia benè se habente. Consimiliter sine coxis, & cruribus illa ferè semipuella genita fuit ex defectu partis crassioris genituræ parentum, menstruique sanguinis, quæ ortum habere debuit ex alimento superabundante nutricatui crurium, & coxarum genitorum. Idem judicium esto de viro, & de puella sine brachijs; mutili enim ortus est ex defectu materiæ illius particularis, quæ à partibus ejusdem generis in corpore parentum effluere debebat, ortum ducens ex alimento earum nutricatui superabundante: secus enim natura, quæ de possibilibus efficit quod melius [c] est, non monstrum, sed hominem perfectæ conformationis generare debuisset minoris quantitatis cum omnium membrorum apta proportione. Caput autem illud membranis involutum, quod ab Augustana muliere partu editum affirmatur, mihi purum caput non est; quia caput sine corde, ac hepate physicè vivere non potest multùm temporis, nec in utero; pars autem omnis formata est vivens [d] Aristoteli: sed in ea mole cor, & hepar etiam fuere, aliaque principalia viscera; licet facies totam materiam extrinsecus in formam capitis occuparet; reliquæ autem partes deerant in monstro, deficiente materia spermatica, & sanguinea, ex qua determinatè generari debebant; utpote originem trahens ab eo, quod redundare consuevit nutricatui earumdem partium in corpore parentum: defecit autem, quia consumpta

Marginalia: Infans carens cruribus unde ortum habeat. — Infantis absque brachiis caussa originaria. — Natura semper efficit quod melius est, de possibilibus. — Caput membranis involutum quam naturam habuerit. — Caput sine busto, nec in utero diu vivit.

[c] de an. in cef. c. 10. 1 polit. cap. 5.

[d] de gen. an c 4.

ſumpta eſt in ortum ſpontaneum ſerpentis, quem mulier illa poſt capitis monſtrum peperiſſe dicitur; & in conſtitutionem animalis alterius bruti, quod poſt ſerpentem edidit in has effigies.



Abire autem parentum ſemina ex mala ſive ſua, ſive uteri qualitate in materiam, ex qua ſerpentes in utero ſpontè naſcantur, novum non eſt, eo experimento comprobatum, quod [e] Paræus à [f] Levino recepit in hanc ſententiam ſcribente, Superioribus annis me uſa eſt medico mulier quædam inſularis, quæ ex congreſſu cum nauta quum concepiſſet, celeriter illi adeò alvus intumuit, ut ad præſcriptum à natura

Ex ſemine in utero mulieris ſerpentes gigni quomodo.

[e] li. 19. c. 3.
[f] de oc. na. mir.

natura usque terminum gestando oneri non videretur suffectura: nono mense exacto obstetricem accersit, moxque post validos conatus, & enixus, exclusit primò informem carnis concretionem, duabus utrimque ansis in brachiorum longitudinem, & modum exporrectis præditam, & à vitali quodam principio se spongiarum, & urticarum more motitantem, ac palpitantem; postmodum delapsus ab utero serpens est rostro adunco, longo, teretique collo, oculis vibrantibus, cauda acuminata, eximiaque pedum agilitate; qui ortus fremitu, sibilisque totum cubiculum implevit in omnem se partem proripiens, ut latebram nancisceretur; sed ipsum mox unanimi impetu facto quæ aderant mulieres pulvinis conjectis suffocarunt: tandem misella multo labore fracta fœtum masculum peperit adeò malè multatum, & excarnificatum ab eo serpente, ut statim baptizatus interierit.

Mola miræ formæ.

Monstrum autem uniforme minori portione truncum, ut puer unimanus, semipes, monoculus, nasindigus, auricaptus, & id generis, oritur ex defectu materiæ, quæ suam originem traxit à residuo alimenti superabundante nutricatui consimilium partium in corpore parentum; secus enim si materia menstrui, vel seminis, undecumque à parentis corpore prodiret, apta esset ex qua in utero virtute seminis unaquæque fœtus particula constitueretur, nunquam ex defectu materiæ monstrum mutilum orietur, potissimè truncum parte pusilla, ut manu, auribus, naso; nam poterat fœtus à natura, ubique de possibilibus efficiente quod melius est, paullo minor constitui corpore toto, ex alijs partibus desumpta portiuncula materiæ in deficientis membri constitutionem. Quod latius explicavimus in opere de *g* perfecta constitutione hominis in utero.

Non ex quacunque portione seminis aut menstrui fieri quamcunque partem fœtus.

g cap. 11.

Se-

CAP. IIII.

Secunda caussa, & origo monstri mutili ostenditur esse ex debilitate, ac defectu virtutis formatricis.

MOnstrum idem uniforme aliquo membro mutilum, ut puer unimanus, unipes, monoculus, nasicarens, aurindigens, præter materiæ illarum partium propriæ defectum, ab aliqua ex propositis caussis provenientem, fieri etiam potest ob imbecillitatem virtutis formatricis eorumdem membrorum: si etenim pars illa seminis parentum spirituosa, cui vim constitutivam fœtus inesse vidimus, imbecilla fuerit; reliquas partes efformare poterit, præter eas, quæ monstro desunt: determinatè verò potius has quàm alias efformare desinit ob imbecillitatem multiplici de caussa: una quidem est, quia portio seminis parentum spirituosa, cui propriè talium membrorum efformatio demandata est, quum habeat originis suæ materiam à consimilibus generantium membris; si quapiam ex allatis caussis in tota seminis massa fœtum constituente non reperiatur, vim ea massa non habebit eas partes in fœtu generandi; utpote carens temperamento simili, quo earum partium naturam constituat: Quæ caussa bellè ad efficientis defectum redigitur, ut prior ad inopiam materiæ. Altera verò est, quia in massa spirituosa seminis ea portio, ad quam ejuscemodi membrorum efformatio pertinet, sit vel nimio calore uteri dissoluta, & enervata; vel nimio ambientis frigore proprio calore privata, à quo fœcunditatem habebat [a] *Aristoteli*; alijs partibus seminis intactis; vel etiam quia non ultimum seminis complementum in testibus habuerit;

Ut monstrum deficiens oriatur ex defectu virtutis formatricis

Semen unde fœcunditatem habeat.

[a] 2 de gen. an. cap. 3.

I vel

vel demum quia olim à partibus consimilibus in parente, quarum nutricatui superabundavit, vi tertiæ coctionis non adepta fuerit exactum illarum partium temperamentum, quo ad consimiles in fœtu procreandas indiget ceu necessario penitus instrumento. Id autem vitium simul inesse debet cum paterni, tum etiam materni seminis illi portiunculæ, quæ à consimilibus parentum membris materialem originem ducentes, consimilium membrorum fœtus constitutioni à natura destinantur: Quod quia raro admodum contingit, ideo frequenter monstra non oriuntur, paterno semine materni vitia sæpenumero corrigente, atque non raro vicissim materno spermate paternæ geniturae defectum supplente. Tertiam caussam refert [b] *Aristoteles* in caloris, quo semen pollet, excessum, aut defectum inquiens, *Inest hic calor in excremento seminali, tantam, talemque habens motionem, & actionem, quanta modicè ad quamvis corporis partem accommodetur. Quod si vel deficit, vel excedit, rem, quæ fit, aut deteriorem efficit, aut læsam, & mancam.* Atque hac sanè ratione ortum reor monstrosum puerum, quem anno *Domini* MD LXXIII. *Paræus* [c] *Lutetiæ* vidit novem annos natum, in *Parpavilla* pago, sex à *Guisio* miliaribus, *Petro Renardo*, & matre *Marqueta* genitum; cui tantum duo digiti in dextra manu erant; brachium haud invenustè à summo humero ad cubitum usque deformatum; at inde ad extremos duos digitos deforme valdè visebatur: cruribus carebat; quamquam à nate dextra pedis imperfecta quædam veluti figura quatuor tanquam digitis distincta proferre se videbatur: à sinistræ verò natis medio duo digiti prosiliebant, quorum unus genitali virili haud erat absimilis. Cujus hæc erat effigies,

Unius parentis semen alterius vitium corrigere posse.

[b] 2. de gen. an. cap. 4.

[c] lib. 24. cap. 6.

Ter-



CAP. V.

Tertia caussa, & origo monstri mutili statuitur in angustia uteri, ac loci fœtum continentis.

SEd trunca etiam hominum corpora quibusdam partibus oriuntur nullo materiæ defectu, nullaque virtutis agentis imbecillitate, ob solam uteri, membranæve fœtum ambientis angustiam in ea regione, quæ constituendæ partis in conceptu locus esse deberet: si namque uterus quapiam in parte sui nimis coarctetur, aut ob aliquem tumorem scyrrhosum,

nimis coarctetur, aut ob aliquem tumorem scyrrhosum, sive in sua substantia natum, sive in tunicis intra eum sitis, & embrio circumpositis: sive in visceribus extra utrum degentibus, sed illi propinquis exortum, à quo comprimatur: aut ob nimis arctam ventris adstrictionem studiosè à muliere factam, seu conceptus occultandi caussa, seu quavis alia ratione: aut ob placentæ nuncupatæ, aut molæ cum fœtus conjunctæ immodicum incrementum: aut quia duo sint fœtus magni, pluresve duobus in utero: nequeunte materia in iis angustiis locum habere, in quo determinata pars illa fœtus generetur; vel consumitur in halitus, vel in humores diffluit, vel in membranas fœtum ambientes, sive placentam, sive in alias partes consimilis naturæ alio loco ampliori genitas commutatur; vel demum intra vicinarum partium cavitates, ac laxiorem substantiam introducitur; fœtu à natura mutilo iis membris, quibus in amplo loco constituendis ea materia destinata fuerat: Et hac sanè ratione fœtus expes, auricaptus, absque brachiis, nasindigus construi potest; ac tunc maximè, quum duo, vel plures conceptus justæ molis fuerint in utero.

Caussæ uterum angustantes.

CAP. VI.

Quarta mutili monstri caussa & origo ad materiæ ineptitudinem redigitur.

SI quando autem utero existente satis amplo, & expedito; virtuteque formatrice valida, & integra; quin & materia debitæ quantitatis; aliqua tamen materiæ portio inepta fuerit, quæ animetur, & in

in ſubſtantiam viventem convertatur; aut quæ animata determinati membri figuram induat, ſive quia ultimas diſpoſitiones, ac temperamentum neceſſarium ad animam, vitamque, aut membri figuram ſubeundam non habuerit: ſive quia tales diſpoſitiones, ac huiuſmodi temperamentum, ob aliquam intemperiem ſibi quomodocumque ab ambiente corpore impactam, amiſerit: quando actus activorum *Ariſtoteleo* [a] decreto non fiunt niſi in patiente diſpoſito, & in propria uniuſcujuſque materia, quæ non niſi per ultimas diſpoſitiones determinatur ad unumquodque, ex ſe indeterminata exiſtens ad omnia; proinde ceteris materiæ portionibus benè ſe habentibus monſtrum in utero conſtituitur ſine illo membro, cui conſtituendo pars illa materiæ inepta ſecundùm naturam ideo deſtinata erat, quoniam ab ejuſdem generis membro parentis ſuam originem, & per eam conſimile temperamentum temperaturæ partis gignendæ habens, in eo ultimam ad ejus naturam induendam propenſionem obtinere debebat. Hac de cauſſa unoculus infans oriri poterit ſine alterius veſtigio, unipes, unimanus; immò verò etiam carens inſigni mole corporis, ut captus brachijs, & cruribus, coxiſque.


Ineptitudinis materiæ fœtus cauſſæ

a 2. de an. t. 24. 26.

Actus activorum in patiente diſpoſito fieri.

Materia ex ſe indeterminata, ut determinetur.

Materiæ ineptitudo ut ſit monſtrorum cauſſa.



CAP. VII.

Quinta monstri mutili caussa, & origo est ex parente itidem trunco.

Cur, & quando ex monstrosis parentibus monstrosi filij nascantur.

POrro si parentes ambo truncati fuerint eadem aliqua suorum corporum parte ab origine; atque adeò in genere monstri contineantur; necessariò prolem monstrosam suscipient eadem parte carentem; quippe conceptui nec à patre proveniet pars illa efficiens spirituosa seminis, cui dicata est ejusmodi membri conformatio; nec à matre materia eidem parti constituendæ necessaria: Quocirca ex duobus unoculis, aut unimanis,

manis, aut cruricaptis, brachiisve carentibus partus omnes enaſcentur neceſſariò monſtroſi, monoculi, unimani, crurindigi, brachijſve capti. Si ergo carenti brachijs illi ſicario *Lutetiæ* ſtrangulato nupta fuiſſet mulier illa, quæ *a* *Paræi* teſtimonio viſa etiam *Lutetiæ* fuit non ita pridem ſine brachijs orta; ex tali conjugio non niſi proles brachiorum exors exoriri potuiſſet.

a li. 24. c. 6.



Sin autem utrique parentum ejuſdem membri mutilatio poſt ortum morbi alicujus ſævitia contigerit, non erit neceſſarium ex illis monſtroſam pariter ſobolem procreari; poterit monſtroſa tamen ex illis itidem ſoboles provenire ob cauſſam nuper allatam:

Ex monſtroſis parentibus cur & quando filii non monſtroſi oriantur.

At

At verò non erit hoc necessarium, quia fieri mutilatio potuit in parentum corpore quando jam ad eorum testes, & ad venas propè ventrem pervenerit materia seminalis cum sanguinea, quæ superabundaverat olim nutricatui earum partium, quibus postea parentes orbati fuere; tunc enim ex mutilis parentibus integra potest exoriri soboles; quo nomine *b Aristoteles* alicubi verè dicere potuit taurum à castratione vaccam implevisse; tunc enim vasa ejaculantia inter testes & penem media taurus ille semine plena obtinere potuit, quod vel exectis testibus in uterum feminæ jaculari valuit, & ex illa prolem integram suscipere: Tale quid enim cani cuidam contigisse olim audivimus à *Papyrio Caballetto* præclaræ indolis viro; canem scilicet Veneris œstro percitum, dum femellam sui generis ad coitum insectaretur, invitis catellæ dominis, intra valvæ cujusdam angustias comprehensum medium, ac vi detentum forcipe statim ab hero catellæ testiculos amputatum, & illico dimissum, à castratione cum obvia sibi cane venerem non detrectante corpus miscuisse. Sin autem uni tantum ex parentibus membrum aliquod defuerit, si quidem femina sit carens aliqua parte, præsertim non spermatica, vel ex utroque genere partium constituta, necessariò fœtus enascetur monstrum eadem parta truncum; quia materia illius membri constitutioni apta non nisi à matre integra inest suam originem ab ejus parte consimili obtinens, neque huic defectui consulere poterit masculi semen, quia id in materiam carnosarum partium illi membro necessariarum concedere non valet. At verò si pater fuerit homo aliqua parte mutilus, is ex femina integra poterit quidem monstrum æquè truncum procreare; at non necessariò mutilam prolem suscipiet, quia ubi defi-

Taurus castratus quomodo vaccam potuerit gravidam efficere.

b 1. de gen. an. c. 4.

Canis castratus venerem exercuit.

Paternum semen quando supplere nequeat defectum maternæ materiæ.

deficit ſpirituoſa pars paterni ſeminis illius membri formationi deſtinata, præſto eſſe poteſt à conſimili parte materni corporis materialem generationem habens feminei ſpermatis ſpirituoſa portio, quæ in ejus membri conformatione ſuppleat defectum patris; qua ratione [c] *Ariſtoteles* alibi monuit ex læſis parentibus interdum læſos, interdum non læſos filios provenire. Ita ergo ex coitu cum monſtro mutilo monſtrum conſimile generatur.

Femina cur poſſit omnem maſculi defectũ ſupplere.

c 2 de gen. an. cap. 3.

CAP. VIII.

Sexta cauſſa, & origo monſtri mutili ad morbum fœtus attinere dicitur.

POſtremo loco monſtroſus partus ab integris parentibus edi poterit, nulla vel deficiente, vel inepta materia; nulla continentis uteri anguſtia; nullaque virtutis formatricis imbecillitate; ubi fœtus integer efformatus in utero aliquem morbum patiatur, quo integra illius aliqua pars abſumatur: Ut enim homines adulti luis Venereæ veneficio plerique nares amittunt, ac virile membrum; utque ſphacelismo integris brachijs aliquando vel cruribus priventur; utque nimio frigore nonnulli pedibus truncantur; ut aliis membris ferro amputantur, igneve conſumuntur; qui omnes obducta vulneri, ulcerive cicatrice, monſtra mutilata nobis apparent; ita ſanè tenerrimum fœtus corpuſculum in utero aliqua parte detruncari valet, ſive adurente inflammatione conſumpto pede, ſive corrodente humore aliquo exeſa manu, ſive ſphaceliſmo abſumpta virga, ſive quomodocumque aliter alia parte detracta; qui morbus à natura, * *Hippocrati* medicatrice, mox quaqua ratione

Monſtrum ut vi morbi oriatur.

* 6 epid. ſect. 5.

 curatus,

curatus, obducta corpori fœtus cicatrice, relinquitur puellus truncus, qui suo tempore nascitur monstrum eo membro destitutum. Rarò autem contingit exoriri ejusmodi monstrum, quia rarò contingit fœtum in utero tenellum adeò gravi morbo affici, & non interimi, sed ab amisso vi morbi membro integro obducta corpori cicatrice convalescere. Sic igitur ex vi morbi oriuntur pleraque monstra mutila.

CAP. IX.

Monstra mutila ex imaginationis parentum vi exoriri non posse,

NEque verò plerisque aliis assentimus, quibus omnia cujusque speciei monstra, atque adeò mutila, vi vehementioris phantasiæ parentum enascuntur: Quum enim phantasia quantumvis intensa vim non habeat detrahendi quidquam materiei generandi conceptus: nec virtuti generatrici: nec formatrici seminis: nec loci amplitudini, uterum nimis quàm par sit angustando: nec sanitati fœtus, morbum membrorum consumptorem procreando: sed solùm valeat figuras, & colores partium variare vehemens imaginatio: liquidò jam patet nullum ab ea monstrum mutilum posse procreari: at omnia in eo genere fieri à caussis antea propositis cum seorsum acceptis, tum etiam multò magis si plures in unum convenerint, sive in eadem parte, sive in pluribus: siquidem trunci monstrosè à natura homines sunt simul pluribus membris carentes: quorum uno uteri angustia destitui possunt, altero vi morbi privari, altero defectu materiæ orbari, altero imbecillitate agentis caussæ spoliari: & ita de aliis. Ita ergo ex tot caussis physicè nascuntur

ſcuntur omnia monſtra mutila: quorum originem Clariſſimi viri indifferenter referunt in unum materiei defectum.

CAP. X.

Monſtri Uniformis excedentis realis exiſtentia ex hiſtorijs item comprobatur.

AT in eodem genere monſtri uniformis ex adverſo multa reipſa comperiri monſtra in aliqua parte aut ſecundùm numerum, aut ſecundùm molem mirabiliter excedentia, iiſdem hiſtoricis confirmari poteſt; namque apud eundem *Joannem Gualtherium* infans duplici capite ortus eſt. Quin etiam *Theodoſio* imperante, *Arcadio*, & *Honorio Coſſ.* in orientali plaga in caſtello *Emaus Paleſtinæ*, natus eſt puer ab umbilico deorſum unum corpus obtinens, ſurſum bicorporeus, duo habens pectora, duo capita proprijs pollentia ſenſibus adeò diſcreta, ut altero comedente, ac bibente, alterum abſtineret monſtri caput; altero vigilante, alterum ſomnus oppreſſum detineret; licet nonnunquam ſimul dormirent, ſimul colluderent invicem; ſed & inter ſe aliquando rixabantur, ſeque invicem percutiebant. Vixit monſtrum ferè biennium; & alter ſemipuer alteri mortuo quatriduum ſupervixit. Hujus monſtri teſtimonium perhibuit *D.* [a] *Auguſtinus* luculentiſſimum.

Anno Dñi. 140. 398.


[a] lib. 16 de Civ. Dei cap 8.

Conſtantinopoli puer natus eſt quatuor pedes habens. Alter duos vertices à nativitate obtinuit. In *Thracia* pariter natum infantem quatuor pedes habentem populi viderunt. Alterum ibidem duo capita gerentem; quorum uterque ferro conciſus eſt. *Henrico Tertio* imperante in confinio *Normanniæ*, 1044.

601.

ac *Britanniæ* portentum visum est in una, vel potius in duabus mulieribus; erant duo capita, & quatuor brachia, cetera gemina usque ad umbilicum: inferius singula omnia, comedebat, ridebat, loquebatur una, dum altera interim abstineret, fleret, atque taceret; ore gemino comedebatur, sed uno meatu venter ejiciebat; uni defunctæ, supervixit altera penè triennio mortuam portans, denique pondere molis, & nidore cadaveris occubuit. Historiam texuere quoque *Vincentius* ex *Guillerrino*, & *Matthæus Palmerius*, lib. 26. cap. 38.
quamvis tempus nativitatis varium reddant. *Con-*
1063. *stantiæ ad lacum Acronium* nati sunt duo infantes, masculus & femina, duobus capitibus, quatuor brachiis, totidemque pedibus, membris omnibus abso-
1104. lutis, sed conjunctis corporibus imo ventre circa um-
1112. bilicum. Homines alibi postea nati bicipites. In *Anglia* ortus est puer geminus à clune usque ad superiores partes ita divisus ut duo haberet capita, duo
1118. corpora integra ad renes cum suis brachiis, qui tri-
1297. duum supervixit. Monstrum etiam *Namuti* exortum est infantem bicipitem referens tam sexu duplicem,
1310. quàm ceteris partibus, sola corporis compage simplicem. Novi ex *Annalibus Dominicanorum Col-*
Anno Domini. *mariensium* mulierem in *Sclecistat* peperisse puerum
195. cum duobus capitibus. *Trithemius* in Chronico Spanheimensi ad annum 1236. Hoc anno qui fuit.... *Ivari Abbatis* in villa *Gebrad* natus est puer masculus biceps monstrosus valdè, vixitque mensibus sex & q. diebus, cujus duo erant capita à parte posteriori sibi opposita, unum verò corpus, duo ventres confusi, & inferius mirabiliter in unum redacti, pedes duo.

In



1316. In agro *Florentino* puer natus bicorpori effigie, geminis capitibus, quaternis manibus, circa genitales partes ita connexus, ut in duos tantummodo pedes terminaretur; à partu matris paucos dies vixisse perhibetur: de quo [b] *Franciscus Petrarcha* Lyricorum Italorum summus meminit, afferens, ejusdem monstri effigiem *Florentiæ* in Hospitali ad scalas exculptam, epigramma sequens inscriptum habere.

[b] lib. 4. rer. memorand.

„ *Hac* Petrus Paulusque, *uno sub corpore bini,*
„ *Fabrica naturæ mira jacemus humo.*
„ *Cuique suum fuit & manuum, fuit oris opusque;*
„ *Vesicæ, ast unum ventris opusque fuit:*

,, *Junxere extremæ partes nos corporis ambos*
,, *Quas neuter ſimul, & dicat uterque ſuas.*
,, *Neutra ex parte pedes; capita ex utraque fuerunt*
,, *Bina; ſed è medio corpore planta fuit.*
,, *Bina fuit medio, quæ corpore planta deorſum*
,, *Pendebat, ſurſum quinta erat una manus.*
,, *Non verò nobis unus ſomnuſque, cibuſque,*
,, *Nec riſus nobis, fletus & unus erat:*
,, *Somno membra dabat unus, ridebat & alter,*
,, *Sugebatque unus flens quoque & alter erat.*
,, *In* Florentina *natos nos fluminis* Arni
,, *Valle dedit Patriæ; nos pia cura Patris.*
,, *Inde alti, & Sacro pariter de fonte levati,*
,, *Viximus ambo decem bis totidemque dies.*
,, *Quid nunc* Neptunum, *quid nunc* Janumque *bifrontē*
,, *Miraris?* Stygij *terna quid ora* Canis?
,, *Et quid* Geryonis *tria corpora? ſcilicet unum*
,, *Nos corpus, binas nos animaſque lege.*

De hoc etiam monſtro *Kornmannus* libro ſuo *de Miraculis vivorum.* In pago *Vallis, Arni* ſuperioris nomine *Tertanio* monſtrum exortum eſt duos puellos uno umbilico ad invicem junctos habens, cui ab uno latere & genitalia erant membra, & bina quoque pendebant invalida crura; ab altero verò latere crus ſolum exibat imperfectum; fuitque monſtrum hephe-
1389. merum. Alibi natus eſt in *Italia* infans ſub uno capite quatuor brachia, totidemque crura divaricans; cui vita exiguo tempore duravit; de quo & *Ambro-*
Anno Dñi. *ſius* [c] *Paræus*, & [d] *Joannes Riolanus Fil.* teſtimo- [c] li. 24. c. [d] de monſtr. Lut. cap. 8.
nium perhibuere. Puella biceps in *Boioaria Aquilonari* inter *Danubium*, atque *Alemannum* fluvios in
1413. *Sanderſdorf* nata eſt in mola pagi, quæ & quaterna bra-

brachia, bis geminas manus, & totidem pedes habuit. In agro *Piceno* exortus est infans dentibus sex, & facie insolitæ magnitudinis. *Bernæ* puella orta est uno capite, duabus posteriorbus corporis partibus, totidemque pudendis. 1472. 1475.



In *Veronensi* agro infantes feminæ duæ natæ sunt binis genitalibus, duplici ventre quaternis brachiis, sed sibi dorso ab imis humeris, ut inquit *Paræus*, ad nates usque arctissimè cohærentes; quod monstrum parentes diu multumque per Italiæ urbes, quæstum inde sibi comparantes circumtulere.

In



In pago *Rorbachio* non procul ab *Heydelberga*
1486. *Paræi* etiam relatu, gemini utriusque sexus obver-
1487. sis tergoribus annexis orti sunt. Biceps infans *Patavij* natus est, in quo præter naturæ luxuriem nihil aliquoquin fuit fœdum aspectu. *Romæ* gemini or-
1493. ti sunt, simulque uno corpore conjuncti, adversis inter se manibus, ac facie; qui pauculos vixerunt dies. *Berheldiæ* in ditione Principis Palatini Electoris nati sunt gemini pectoribus sibi affixis, unico umbilici dependentis vinculo constricti. Germaniæ in oppido ad sylvam *Hirciniam* sito, infans duobus capitibus, quatuor manibus, & duobus pedibus natus

tus est. Propè *Wormatiam* ad dextram *Rheni* partem in villa *Birstad*, quæ sita est inter *Wormatiam* & *Bensheim*, mulier quædam enixa est duas puellas corporibus integras, sed in vertice fronte tenus inseparabiliter connexas, & sese mutuo inspicientes; eas [e] *Munsterus Maguntiæ* se in sua *Cosmographia* scribit vidisse sexennes; cogebantur simul incedere, simul cubare, ac surgere; & quum una procederet, altera retrocedebat: nasi utriusque sese ferè contingebant: oculi verò non in directum, sed in latera tantum torqueri poterant. Vixerunt ad annum decimum; quo tempore, quum una defuncta resecaretur à superstite, viva hæc aut ex accepto in capite vulnere, aut potius ex vulneris fœtore & putrefactione corrupta in cerebro, paullò post etiam diem obiit extremum; cujus imaginem paullò supra vidimus. 1495.

[e] lib. 3 p. 625.

In ditione *Werdemberga* monstrum feminei sexus 1498.
ortum est duplici capite, quaternis brachiis, pectore, ac ventre uno, pedibus duobus. In *agri Tigurini* pago *Gossaw* apud *Helvetios* mulier honesta masculos duos duobus capitibus, uno quidem corpore, umbi- 1403.
lici vinculo conjunctos, quatuor manibus, & quaternis pedibus enixa est. *Colmariæ Imperialis Alsa-* 1514.
tiæ oppidi ad *Illum fluvium* siti natus est infans virili sexu, ex cujus pectore aliud integri hominis, ejusdemque sexus corpus omnibus membris absolutum ad genua usque propendebat, solo capite in alio corpore infixo. In *Germania* visus est justæ vir ætatis, 1516.
cui aliud caput ex umbilico exertum prominebat; quod in morem superioris etiam cibum assumebat: Hujus meminerunt itidem *Jacobus* [f] *Rueffus*, & *Am-* 1519.
brosius [g] *Paræus*. *Janus Vitalis Panormitanus* in suo *Teratorizione* de monstro isto, è cujus pectore pro-

[f] lib. de homil conce.
[g] lib. 24. cap. 2.

pendebat collo tenus abdito capite alter infans ait,

,, *Ecce oritur, dictu horresco, propè curva cavernæ*
,, *Ora puer mentis mens haud ignara Deorum*
,, *Protinus ergo ingens telluris crevit acervus*
,, *Tollitur ex ima gramen compage revulsum*
,, *Mox ruit abrupto cumulo; mirantur aristæ,*
,, *Mirantur glebæ, Cyprios tum terra capillos*
,, *Decepit, aurati dudum patuere cylindri*
,, *Nec monstris similes pavidis, crescitque tuendo*
,, *Ocius, & truncum sub pectore librat inanem*
,, *Egressus puer, & sine nomine pectore corpus*
,, *Imminet, huic collum caput est, & brachia parva*
,, *Pro manibus sunt, terga polum spectare videntur.*




Ex

Ex *Sabaudia* in *Helvetiam* migravit quidam justa 1525.
ætate, integra forma, membris benè compactis, ex cujus tamen ventriculo præterea aliud hominis corpus ita propendebat, ut caput totum, atque brachia sola deessent: circumtulit vir bonus hanc molem magno hominum undique confluentium spectaculo, & admiratione, per regiones diversas ex corpore mirabili quæstum faciens.

In *Hiriciniæ sylvæ* quodam pago non procul à *Kniebis* infans monstrosus natus est virili sexu, in 1529.
cujus corpusculo circa pectus aliud præterea corpus membris omnibus absolutis propendebat ad genua usque, solo capite in alio corpore tecto. Pervenit 1531.
hoc monstrum ad virilem ætatem pererrans orbem. Propè *Esselingam Neccari* natus est infans uno capite, quatuor aures, quaterna brachia, bisgemina crura, totidemque pedes obtinens; cujus & *Jovianus Pontanus*, & *Paræus* etiam meminisse videntur, non geminato aurium ordine. In *Helvetiæ* pago
[a] lib. 24. cap. 2. *Gossaw*, propè [b] *Groningam* ortus est infans duobus capitibus, ternis brachiis, totidemque pedibus. *Theani Sidicini Rueffi* relatu natus est infans, manibus quatuor, pedibusque totidem, capite & ventre uno, binoque membro femineo

In oppido *Seckingen*, propè *Basileam* ad *Rheni* 1534.
ripam sito, gemini nati sunt conjunctis lateribus, qui propter matris graviter parturientis angustias nimium compressi, ferè oppressi non diu vixerunt. *Bre-* 1535.
mopyrgi Marchiæ urbe, notante *Fincelio*, natus est infans ita in corpore circumflua, & laxa carnis mole, ut militari sago Germanico indutus appareret. In 1536.
agro Tigurino natus est infans ei planè similis, qui in *Helvetiis* etiam, in pago *Gossaw* ante sexennium

ortus eſt, uno corpore ſcilicet, duobus capitibus, tri-
1538. bus manibus, totidemque pedibus. Natus eſt homo, & ad perfectam viri ſtaturam excrevit, capite, ac humeris tantummodo geminus, ita ut caput alterum ante, alterum retro proſpiceret, mira inter ſe ſimilitudine; barbis etiam, & oculis ſeſe mutuo referentibus; idem erat utriſque cibi appetitus, vox ſimillima; idem uxoris, quam monſtrum habebat, deſiderium; eadem excernendi cupiditas: annum: excedebat trigeſimum.



Simile monſtrum in *Bavaria* conſpectum eſt; fuit mulier viginti ſex annorum, duobus capitibus, quorum

quorum unum ſatis deforme erat; hæc dum mendici habitu oſtiatim ſibi victum quæreret, ne gravidæ conſimilia monſtra id admirantes parerent, dato viatico juſſa eſt è finibus abire. Fœtum natum vidit *Haſſia* 1540.
geminis capitibus reflexis in dorſum; quorum ſeſe facies obverſæ invicem minaci vultu conſpexerunt. *Friburgi Myſorum* editi gemelli totius thoracis an- 1541.
terioris cohæſu invicem junctis. Textoris uxor in *Miſniæ Friburgo* in *vico Franciſcano* gemellos peperit anterioribus corporis partibus in mutuo complexu conjunctos. In *Ducatu Wirtembergenſi* nati 1542.
ſunt gemini coalitu pectoris ad umbilicum uſque connexi. *Schauffiæ Helvetiorum* ortæ ſunt infantes 1543.
duæ uno ſolido corpore à collo ad umbilicum uſque, umbilici ſubtus vinculo propendente; ceterum capitibus geminis, quaternis brachiis, totidemque pedibus monſtrum pollebat. In pago *Rinach* non procul à *Baſilea Rauracorum*, mulier geminos edidit concretis corporibus duobus ſupra umbilicum, quaternis brachiis; quæ tamen corpora à lumbis in duos pedes conjuncta deſinebant; fuit Monſtrum à *Munſtero* deſcriptum, & poſtea quoque à *Stumpſio*.
Mediolani, referente *i Cardano*, puella biceps orta eſt; reliquis membris unum corpus referentibus; nam bina crura, bina brachia, vulva una fuit: Sed quum *Gabriel Cuneus* Chirurgus mortuam diſſecaviſſet, primò quidem gulam interiorem (ſunt qui *Meri* vocant) & cum ea ventriculum invenit duplicem; qui tamen in fundo coibant; ibi etenim pylorus unus; nihilominus ex eo inteſtina gemina exoriebantur, ut illorum uterque ordo duplicatus eſſet, uno excepto recto, in quem unum coibant omnia, qui ad unum anum terminabatur: erant autem fæces in

i lib. 14. rer. var. cap. 77.

ambobus inteſtinorum paribus: Pulmones gemini viſebantur, atque hi nulla ex parte in unum coibant; Cor paullò altius quàm in aliis eſſe ſolet τ litteram græcam referens bifidum ſcilicet; ſed tamen in una ſede; an uterque ventriculus ſuperior in eo eſſet, non exploravit: Jecur craſſum; valdè oblongum, ſed abſque lobis: Spina dorſi duplicata; diſtabatque una ab altera digiti magnitudine, unaquæque ſuo ſubdita capiti; & uſque ad crus, quod ſibi in directo erat, ferebatur. Dentes inferiores anteriores quatuor, ſuperiores duos habuit, ſed magnos, & inferioribus duriores; qui tamen dentium duritiem non exquiſitè præſeferebant. Renes erant duplicati: ureteres, & veſica minimè. Orta eſt menſe nono & abſoluta, & corpulenta: verùm in ipſo exortu ob errorem obtorto collo unius ab obſtetrice idem dies, eademque hora fuit, qua tenebras mortis, & vitæ hujus lucem experta eſt. Manifeſtum eſt igitur idem in his contingere, quod in fructibus: duas tentavit natura creare puellas; in ipſo exortu principalium membrorum colliſa atque conſtricta ſunt omnia præter caput: omnia igitur principalia præter cerebrum, in unum coiverunt; fuerunt tamen potentia duo; quæ autem poſterius creata ſunt, velut uterus, brachia, & extrema, ab uno tantum principio, & tanquam in uno fœtu ſunt abſoluta. *Heydelbergæ* apud *Neccarum flumen* orti ſunt infantes duo con-
1544. juncti, & maſculi, duobus corporibus ventre conglutinatis, duobus, capitibus, quatuor manibus, & pedibus quaternis; vixerunt ſeſquidiem: diſſecto
1546. monſtri cadavere, cor unum extitiſſe viſum. In *Achen* oppido *Saxoniæ* ad *Albim* duo infantes femoribus latere tenus concreti viſi ſunt qua crura ſubnectun-

nectuntur coxæ, eo situ, ut dexter sinistra manu humero dextro alterius incumberet, sinister dextram thoraci alterius transversim prætenderet. *Lovanij* 1547.
gemelli nati distinctis corporibus uni adhærentibus
k lib. 4. cap. 1. capiti. [k] *Paræi* observatione mulier *Lutetiæ* sexto graviditatis mense fœtum peperit geminum caput, bina brachia, & quatuor habentem crura; in cujus mortui cadavere dissecto cor unicum repertum fuit. In ditione *Abbatis Ursini*, pago *Riedensi*, propè *Kauffburen Sueviæ oppidum*, fabri uxor gemellas o- 1550.
mnibus partibus absolutas, sed ventre ad collum usque conjunctas peperit. *Mildelstoni* in *Anglia* natus est infans duobus corporibus, atque capitibus, quatuor manibus; unico ventre, umbilico, & alvo ad 1552.
ejicienda excrementa: ab una parte corporis duobus pedibus justa proportione formatis: ab altera unico pede tantum; sed ex duobus conflato, ac novem di-
l Cap. 6. gitis munito. *Joannes* [l] *Riolanus Fil.* in tractatu *de monstro Lutetiano* testatur in *Anglia*, non procul ab *Oxonia* natum esse monstrum biceps, quatuor manibus donatum, sed ventre unitum, & partibus inferioribus unicum. Ex istis gemellis uno vigilante, alter dormiebat; dum hic lætam faciem ostenderet, ille tristis, & mœstus apparebat; quindecim dies vixere; sed alter unico die alteri supervixit. Memo-
m Hect. Boe. l. 2. hist. Sco. rabilis est, subjungit vir [m] doctus, historia monstri cujusdam in *Northumbria* orti, quod ventre cohærebat, gemino capite, quaternis manibus; sed inferiores partes communes habebat.

Circa hæc tempora, inquit *Rerum Scoticarum*
* Georg. Buchan. l. 23. hist. Sco. *Historiographus*, * monstrum novi generis in *Scotia* natum est, inferiore quidem corporis parte maris, nec quicquam à communi hominum forma discre-

pans;

pans; umbilicum verò supra, trunco corporis, ac reliquis omnibus membris geminis, & ad usum & speciem discretis: Id Rex diligenter & educandum, & erudiendum curavit, ac maximè in musicis: qua in re mirabiliter profecit: quin & varias linguas edidicit, & varijs voluntatibus duo corpora secum discordia dissentiebant, ac interim litigabant, quum aliud alteri placeret; interim velut in commune consultabant. Illud etiam in eo memorabile, quod quum infernè crura, lumbive offenderentur, utrumque corpus communiter dolorem sentiret; quum verò supernè pungeretur, aut alioqui læderetur, ad alterum corpus tantum doloris sensus perveniret: quod discrimen in morte fuit magis perspicuum: nam quum alterum corpus complures ante alterum dies extinctum fuisset; quod superstes fuit, dimidio sui computrescente, paullatim contabuit. Vixit id monstrum annos viginti octo, ac decessit administrante rem *Scoticam Ioanne Prorege.* Hac de re scribimus, ait, eò confidentius, quod adhuc supersint homines honesti complures, qui hæc viderint. In *Hassia Germaniæ*, *Witzenhausiæ*, infans masculus biceps, collo duplici; corpore infero benè compacto exortus est. *Conradi Lycosthenis* testimonio, *Genevæ* apud *Allobroges*, monstrum, quale hic subjectum vides, ex *Galla* quadam muliere, *Genevæ* tunc habitante, natum est: quod materiæ redundantis indicium fuit: Id monstrum binas habuit facies, hoc est bifrons erat, qualem *Ianum* pinxit antiquitas: quod utrimque pendet inflatum, intestina sunt ex dorso prodeuntia: quod autem ex ventris inferiore parte pendet, id jecur est, ex feminæ vulva prolapsum: monstrum hoc utrumque habet sexum, ad dextram mas est,


eſt, ad lævam femina: ad vivum expreſſit *Gaſpar Maſerius* pictor, qui tum ibidem cum multis aliis aderat. Eidem *Lycoſtheni*, apud amœnum illud & ambitioſum *Antiochiæ* ſuburbanum, viſu relatuque horrendum natum eſt *Conſtantii Imperatoris* temporibus monſtrum, infans ſcilicet ore gemino, dentibus cum binis, & barba, quatuor oculis, breviſſimis duabus auriculis in has effigies.



Herbeslebii in *Thuringiæ* pago gemellæ natæ ſunt ventre concreto, ac faſcia carnea in unum quaſi colligatæ, medio corpore ſe mutuis amplexibus retinentes, quæ paucas poſt horas obierunt. In *Miſniæ* pago *Ziebeſt*, non longè à *Pimauw* natus eſt 1553

M infans

1555. infans duo habens capita. [n] *Paræus* autem *Lutetiæ* [n] lib. 14. cap. 2.
1570. in vico *Gravillierorum* ex *Petro Germano*, & *Mathea Petronilla* natos esse ait duos infantes perineo ad nates conjunctos, communem umbilicum in loco sexus obtinentes: sexum illis distinctum fuisse asserens.



Anno Dñi. 1572. Addit in *Viabani* Parœcia, qua *Carnutum Lutetia* itur, in pagulo *Parvarum Bordarum*, *Cyprianam Girandam Jacobi Mercatoris* agricolæ uxorem peperisse gemellas ad nates junctas; quibus unicum fuit commune femineum pudendum; unicum abdomen;

domen; & in ejus medio unicum umbilicum: ceterum duo pectora, quaterna brachia, sed terna crura monstro fuisse; illudque pauculos supervixisse dies.
In insula obscuri lacus, *Ferrariensi* ditione, ortum 1579.
est ex muliere monstrum uno capite, cui ad occipitium frustum grande carnis dependebat: in ore duæ linguæ, acuta latiori insidebat: uno collo, duobus pectoribus in unum junctis: ex anteriori parte duas mammas exerens: ex altera nullas; quaternis brachiis hinc inde pendentibus: epigastriis paullò infra umbilicum disjunctis: sexu femineo distincto utrique ventri à natura concesso. Doctissimus *Riolanus*
filius disertum edidit opusculum. *De monstro nato* 1605.
Lutetiæ, quod coagmentatum fuit ex duabus puellis amplexu mutuo, sterno, & ventre ad umbilicum usque conjunctis; in quibus dissectis repertum est cor, & jecur unum. Novissimè autem nos Patavii
puellum quadrimum vidimus circumferri capite 1611.
maximo, nullam ferè cum pusillo corpore proportionem habente. *Amiterni Rueffo* natus est puer tribus pedibus.

Reperiuntur itaque in natura rerum monstra uniformi excedentia tum in discreta, tum in continua membrorum quantitate.



CAP. XI.

Monstri excedentis natura, & caussa prima elicitur ex parentum phantasia.

Gigantes non esse monstra & cur.

MOnstra verò in humano genere uniformia excedentia non sunt vastæ molis Gigantes proportionatam corporis, ac membrorum rectam conformationem habentes; quippe in eorum origine nullus adest error ullius caussæ naturalis; quum *Aristotele* [a] doctore monstra generatim sint naturæ peccata, & oblæsiones ob vitium in aliquo principio ex iis, quæ viventium generationem quomodocumque promovent. Sed monstra excedentia uniformia sunt homi-

Monstra quid sint.

[a] 2. phys. t. 82. & 4. de gen. an. cap. 3.

homines, multò plura, vel multò majora quædam tantummodo membra obtinentes quàm unius individui perfecti natura postulet, & reliquarum corporis partium proportio requirat; sic monstrum excedens *Cardani* [b] testimonio in *Daphne* urbe regionis *Antiochiæ Constantii* tempore natum est; infans fuit enim ore duplici, duobus dentibus, quaternis oculis, duabus exiguis auribus, barbaque præditus: sic in *Britannia* eidem ortus est infans, cujus genitalia genitalibus inserta erant, crura commista, ut in duo redirent; cetera duorum, caput, brachia, venter, æquè ex adverso positi: sic puer biceps; mulier bifrons; sic omnes illi, quorum exempla quamplurima [c] dudum retulimus: quibus ex *D. Augustino*, [d] *Paræi* quoque observatione, adjicimus suo tempore natum in Oriente infantem, qui à ventre sursum duplicia omnia membra obtinebat, deorsum verò simplicia: duo namque habuisse capita, quatuor oculos, pectus duplex, manus quatuor; cetera reliquorum infantium similem extitisse, & aliquamdiu vixisse. Quum autem hujusmodi monstrorum excedentium, plures caussæ naturales esse valeant; inter eas primum locum *Phantasiæ* dabimus; quæ monstris mutilis efficiendis inepta [e] nuperrimè visa est: Neque verò potest *Phantasia* omnia excedentium monstrorum genera procreare: sed ea tantummodo, in quibus sunt geminatæ partes, quæ tamen simul junctæ membrum non efficiant majus quam deceat proportionem ceterarum partium unius integri fœtus: siquidem phantasia ut materiam imminuere, sic neque illam potest adaugere: quum autem valeat formam accidentalem partibus indere ad libitum: jam poterit cum virtute discretrice, ordinatrice, ac formatrice par-

Monstra excedentia quæ sint.

Monstri excedentis caussæ plures.

Phantasia quæ monstra parere possit.

Phantasia non potest materiam minuere, nec augere.

[b] 15. de va. cap. 77.

[c] cap. 10.

[d] lib. 24.

[e] cap. 9.

partium fœtus operans ministerio spirituum bifrontem fœtum more *Jani* constituere, ut propterea scitissimè feminam illam bifrontem *Bavariæ Principes* ostiatim victum sibi quæritantem dato viatico à finibus abire jusserint, ne illius conspectu gravidæ mulieres consimilia monstra parerent.

Agens omne gestit, sibi simile constituere.

Poterit etiam quadrupes, ac biceps puella nasci divisa materia capiti constituendo apta in duas partes, consimili spectro à phantasia indito altè spiritibus virtuti formatrici deservientibus; adeò gestit omnis natura generans rem sibi f consimilem constituere. f 1 magn. mor. c. 10.

CAP. XII.

Secunda caussa, & origo monstri excedentis in materiæ nimio excessu esse perhibetur.

Puella biceps cujus materiei excessu genita.

Sed longè communior excedentium monstrorum caussa est materiei excessus, nulla distinctione solus in proposito ab omnibus decantatus: Nos autem eum ita explicamus, quia puella biceps caussam obtinuit redundantiam illius materiæ determinatæ, cui soli demandata erat à natura capitis constitutio; hæc autem est portio illa crassior utriusque seminis, & sanguinis, quæ ortum habuit ex alimento superabundante nutricationi capitis parentum: quæ materia si à discretrice virtute seminis, aut aliqua alia caussa dividatur, seorsum induens formam capitis, bicipitem fœtum constituit; sin autem in unam massam conjuncta maneat; fœtui caput indet non numero geminato, sed improportionata magnitudine monstrosum. Sic puer trimanus, triave gestans crura, fœtusque quadrupes constitutus est ex redundantia

dantia illius materiæ tum ſanguineæ, tum ſeminalis quæ in parentibus ortum habuit ex alimento ſuperabundante nutricatui partium earumdem.

Secus enim ſi undecumque à parentum corpore defluxa materia in utero apta eſſet, ex qua ſingulæ partes embryonis progignerentur; jam nunquam ob exceſſum materiæ fieret puellus trimanus, aut biceps, aut quadrupes; fieri enim deberet paullò major infans toto corpore nullam monſtroſam obtinens turpitudinem, à natura de poſſibilibus ſemper quod melius [a] eſt efficiente: quæ omnia latè [b] ſuperius, & [c] alibi. Ita ergo monſtrum excedens ſive in continua, ſive in diſcreta membrorum quantitate, oritur ex abundantia materiæ defluxæ à partibus parentum ejuſdem ordinis cum ijs, quæ in monſtro excedere conſpiciuntur.

[a] de an. inceſſ. c. 10. 1. polit. cap. 5.
[b] cap. 3.
[c] de perf. conſt. hó. in ut. c. 11.

Materia monſtrum excedens conſtituens quæ.

CAP. XIII.

Non omnia monſtra excedentia ex materiæ redundantia exoriri; ſed aliqua excedentium ſui cauſſam tertio loco in una materiæ penuria obtinere.

ORiri poſſe monſtrum excedens citra materiæ redundantiam pleriſque difficile videri poterit; ſed monſtra excedentia naſci ob unam materiæ penuriam, cunctis fortaſſe falſum, ac primo aſpectu in Phyſiologia monſtrum apparebit: Utrumque tamen verum eſſe intimè rei naturam intuenti conſtabit apertè: Ac primùm quidem ea ratione, quia monſtrum bicorporeum ſub uno capite adeò magnum ut duorum juſtæ molis capitum magnitudinem æquet; quin & *Riolani* monſtrum gemellarum uno corde, diaphrag-

Monſtrum excedens ut ex materiæ penuria naſcatur.

phragmate, ac jecore magno, quaſi ex duobus conſtituto, pectore, ac imo ventre conjunctarum, ab exundantia materiæ non exortum fuiſſe ideo dicendum, quia gemellorum origo monſtroſa non eſt, neque in redundantis materiæ culpam referenda eſt; ſed materia nihil excedens ſi in duas vel plures partes quavis de cauſſa, in utero ſcindatur, plures uno fœtus conſtituet; ut alibi demonſtratum eſt, dum [a] *De Perfecta hominis conformatione* ageremus. Secundum verò ea ratio probat, quia materia duobus fœtibus conſtituendis inſufficiens unum monſtroſè nimium excedentem conſtituere poteſt. Ac ſanè aliquando inſtituens natura in utero geminorum procreationem, eamque agreſſa, ubi formatis quibuſdam partibus materiam poſtea ſufficientem non habeat pro duplici corpore conſtituendo, ſeu ea ſit in utero conſumpta, ſeu ad ipſum aliqua ex cauſſa non pervenerit; quod vellet efficere non valens, natura efficit quod valet, reſiduum materiæ in unius corporis formam gemellorum partibus antea formatis adjungit, & monſtrum excedens conſtituit, ob defectum materiæ neceſſariæ gemellorum generationi primariò intentæ à natura, & dudum inchoatæ. Jurarem ita ortum fuiſſe monſtrum excedens & *Mediolanenſe* à *Cuneo* diſſectum; & in *Northumbria* ortum, & *Anglicana* duo, & *Viabaneſe*, & pleraque alia; quorum ſuperius hiſtorias adduximus nunc tibi relegendas. Ita ergo fiunt etiam monſtra excedentia ob unius materiæ defectum.

[a] cap. 6.

C A P.

CAP. XIV.

Quarta caussa, & origo monstri excedentis in superfœtatione collocatur.

RArò superfœtationem contingere experimento comprobatur; eam verò rari eventus illius, quod monstrum dicimus, à Physiologo constitui posse, difficile non est ratione convincere. Fieri enim potest superfœtatio primo gestationis tempore; tunc autem virile semen ad priorem conceptum si applicetur, in eo novam partem constituere potest ea regione, qua contigerit præexistenti fœtui copulari; sic exortum fuisse verisimile est infantem, è cujus ventre caput alterius hominis exerebatur. Fieri quoque superfœtatio valet secundo, vel tertio mense graviditatis; tunc enim secundo fœtu jugiter crescente, quum in utero pleno is locum non habeat ab alio grandiori conceptu vacuum, in quem adolescat; nec duriorem uteri substantiam perfodere queat, in tenerrimum gemelli corpus sensim abdomine discisso, aliqua sui parte penetrat, illique in unum monstrum copulatur. Ita genitum fuisse hominem illum adultum, è cujus abdomine puellus pro statura corporis longè minoris ætatis abdito capite collotenus prominebat, mihi probabile est; nam gemellorum uno, & eodem tempore conceptorum non est adeò dispar magnitudo, ut dum unus vigesimum agit ætatis annum, alter vix dicimum attingentis magnitudinem referat: gemellos autem omnes eodem congressu satos æquali, aut parum admodum inæquali magnitudine compe-

Superfœtatio rara.

Superfœtatio quando, & quomodo fieri valeat.

Monstrum excedens ex parente monstroso.

N riri

riri certum est unicuique, sive discretos ab invicem, sive conjunctos in monstri formam consideraverit: ut apparet in monstro *Lutetiano Riolani*, & aliis quamplurimis. Ceterum senioris fœtus majorem molem adaugere potuit nutricationis modus; nam solus ille comedens appenso sibi non nisi residuum subministrabat: quare hic alimenti penuria non tantum adaugeri valebat: ut in proposito locum habeat tritum illud à vulgo proverbium: qui aliena manu cibum porrigente comedit, rarò nutrimenti copia suffocatur. Verùm & alia longè faciliori ratione hujusmodi monstrum per superfœtationem, sine hac violenta prioris puelli perforatione fieri potuit; nempe facta superfœtatione primis illis diebus post anteriorem conceptum; tunc enim facto illi priori conceptui superinductus alter nullo negocio, propter utriusque materiæ mollitiem ac viscíditatem, conglutinatur; fortèque contingit ut malè sita muliere, vel quomodocunque aliter caput minoris, aut aliam quamvis partem cum alio membro majoris puelli monstrosè natura conjungere cogatur. Sic ergo vi superfœtationis monstrum excedens oritur conjuncto posteriori conceptu cum priori, vel perforatione, vel adhæsu, ita

C A P.



CAP. XV.

Quinta caussa, & origo monstri excedentis resolvitur in iteratam effusionem materni seminis in uterum citra superfœtationem.

QUando superfœtatio non fit nisi per novam mulieris gravidæ cum masculo mistionem, ac per conceptum à primo penitus distinctum: licet secundus illi postea copulari valeat; quia tamen citra compressionem à mare factam potest mulier in seipsam semen effundere, ut in pollutione contingit sive nocturna, sive diurna: profectò si gravida mulier paullo post conceptum iterum, sive dormiens, sive vigi-

Superfœtatio non sine coitu iterato.

Mulier sine coitu quomodo possit in seipsam semen effundere.

lans venereorum imaginatione intra uterum ſemen effuderit, menſtruumque ſanguinem; nullo negocio poteſt in hanc materiam extrinſecus adhærentem priori conceptui vis maſculei ſeminis in illo ſervata iterum operari, & ſecundum conceptum conſtituere; qui priori adjunctus cum illo ſenſim adoleſcat in monſtrum excedens uniforme.

Secundus conceptus ut ſine coitu iterato fiat.

CAP. XVI.

Sexta cauſſa, & origo monſtri excedentis pertinet ad anguſtiam uteri.

AT verò etiam provenire monſtra excedentia ob unam uteri anguſtiam rationi conſentaneum eſt: ubi ſcilicet natura gemellos inceperit conſtituere, habens ad eorum generationem idoneam, & ſufficientem materiam, citra ullum exceſſum, aut defectum, vireſque robuſtas: ſi locus, in quo talis materia continetur, anguſtus extiterit, ex duobus fit unum corpus in imaginem monſtri excedentis: Anguſtia verò hæc uteri monſtrorum excedentium ortui occaſionem tribuens variis de cauſſis exoriri poteſt, nam vel adventitia ex tumore intra uterum ejus cavitatem aliqua ex parte occupante; ſive uteri ſubſtantiæ tumor adhæreat, ſive membranæ fœtum involventi, ſive etiam placentæ fœtui ſubſtratæ: aut hic tumor eſt extra uterum in vicinis membris ejus culpa uterum nimis comprimentibus: ſed & arcta ventris inferi conſtrictione faſciis, aut veſtium muliebrium ſtructura uterus nimium anguſtari poterit, & inde monſtrum exoriri. Hanc ſanè ob cauſſam, præter alia plura, *monſtrum Riolani* genitum fuiſſe mihi veriſimile eſt, quod duplicis puellæ corpora in unum à ſterno

Monſtrum excedens ut ex uteri anguſtia proveniat.

Anguſtia uteri ex quibus cauſſis pendeat.

ad

ad umbilicum juncta continebat, uno corde, uno diaphragmate, ac uno jecore quidem; ſed quorum quodvis magnitudinem duorum juſtæ molis adæquaret: quum ceteras partes omnes diſcretas habuerit æqualis, & proportionatæ inter ſe quantitatis.

CAP. XVII.

Septima cauſſa, & origo monſtri excedentis ex parentibus monſtroſis elicitur.

ADeò ſatagit noſtratium rerum quarumcumque natura ſemetipſam in ſpecie ſaltem perpetuare, ut hac ratione ſi qui parentes ambo fuerint in eadem ſpecie monſtri excedentis, nullo negocio jam poſſint ſobolem monſtroſam pariter ortui dare: dummodo ex eo ſint monſtrorum genere, cui à natura interdicta non ſit procreandi functio: ſic profectò ex ambobus bicipitibus biceps enaſcetur: ſed tamen hoc neceſſarium non eſt, quia ex eorum capitibus omnibus adeò exigua materia ſemini communicari poteſt ut uni conſtituendo capiti puelli ſufficiat, duplici non ſufficiat: & hoc tum quia ex uno tantummodo capite ad teſtes ſeminaria materia tranſmitti valet: tum maximè quia unus parentis ventriculus duobus capitibus non adeò uberem tanſmittit alimoniam, ut illorum nutricatui magna portio utilis alimenti ſuperabundet, quæ ad teſtes delata, & in ſemen abſolutum verſa, indeque in uterum effuſa, ibi plurium capitum conſtitutioni ſufficere valeat. Sin autem alteri ſoli ex parentibus contigerit natura monſtroſa excedens, rarius adhuc ex eorum congreſſu monſtrum ejuſdem generis, ob eaſdem cauſſas enaſcetur. Ita ſanè oriri poterit puellus trimanus,

Superfœtatio ut monſtrum efficiat.

N 3 aut

aut tripes, tricepsve à parentibus consimilibus, ut ex sedigitis sedigitus enascitur; non tamen semper, ac necessariò; quod observasse monuimus *Aristotelem* [a] alicubi dicentem ex læsis parentibus interdum læsos, interdum non læsos filios exoriri.

Ex læsis interdum læsos, interdum non læsos oriri.

[a] 2. de gen. an. c. 3.

CAP. XVIII.

Octava origo, & caussa monstri excedentis in vitio nutricationis consistere perhibetur.

NUtricationis unius culpa monstrosam homines in excessu induere naturam *Aristoteles*, experimentum, & ratio docet; [a] *Aristoteles* quidem alicubi statuens, *Degenerare quod patitur, nec superatur, aut defectu facultatis ejus, quod coquit, & movet; aut copia frigiditateque ejus, quod concoquitur, & distinguitur; quum enim partem superet, partim non superet; facit multiforme quod constituitur, ut Athletarum nonnullis per usum cibi nimium accidit; quum enim per copiam pastus natura nequeat superare, ut proportione augeat, formamque servet eamdem, diversæ efficiuntur partes, & adeò interdum, ut nihilo ferè similes primis evadant.* Experimentum autem ostendit nobis in puero quadrimo, cujus caput ingens erat adeò, ut magnitudinem reliquarum partium moles nulla fermè proportione superantem haberet adultorum hominum duo magna capita simul juncta excedentem; testimonio namque patris, qui eum mensibus elapsis circumferebat visendum, ad stipem inde sibi corradendam, audivimus illum ab ortu natum capite parvo ceteris membris proportionato; sed in dies puello caput mirè crevisse, corpore reliquo consuetam in aliis augmenti celeritatem, seu verius

[a] 4. de gen. an. c. 3.

Monstrum sola nutricatio ut efficiat.

Monstri Patavini natura.

verius tarditatem recipiente, nulla tam celeri ac magno capitis incremento febre, destillatione, sensuum læsione, aut alia vitæ offensa molestatur infans; sed sanus solummodo jacere cogitur pusillo corpore, adeò vastam capitis molem non ita facilè sustinere ac regere valente: Quare nos arbitramur cum *Aristotele* ceteris partibus corporis debitam nutrimenti quantitatem in sui substantiam convertentibus, unum caput nimiam alimenti copiam in sui naturam commutare; quacunque ex caussa eo tanta pabuli tendat ubertas, sive à capite veluti à magna cucurbitula trahatur, sive in caput non ita validum à partibus infernis quod eis superabundat transmittatur: quæ quidem alimentaris materies à propria capitis natura in sui substantiam per nutricationem vertitur, unde nulla symptomata, nullique morbi exoriuntur in puero; sed tamen vitians proportionem capitis in magnitudine cum corpore reliquo puerum monstrosum constituit. Ratio demum nobis apertissimè suadet, quod huic puero jam nato contigit; puellis in utero matris adhuc existentibus eodem planè modo contingere posse: sic ergo quavis de caussa in utero ad aliquam fœtus particulam, nullo parentum vitio, ubi major alimenti ubertas pervenerit, aliis membris decenti mole nutrimenti fruentibus, eaque pars totam hujusmodi pabuli massam in se converterit: proportionem suam cum residuo corpore destruere potest ea pars in maximam adaucta quantitatem, ac monstrum uniforme in excessu constituere: atque hac ratione oriri potuit puer maximo capite, ingenti manu, immani pede, naribus, vel auribus, vel oculis supra cujuscunque hominis adulti quantitatem monstrosè grandibus, nullo penitus intercedente morbo.

Ad caput quomodo nimia materiæ copia tendat.

CAP.

CAP. XIX.

Nona ratio, & cauſſa monſtri excedentis monſtratur in animi paſſionibus parentes afficientibus: exercitatio cum Cardano, *&* Paræo.

Animæ partes viliores in actionibus suis à nobilioribus gubernari.

Vis in ſemine formatrix ut operetur.

ANimi paſſiones vehementiores, ſeu ad ſenſitricem, ſeu etiam ad intellectricem animam attineant, potiſſimùm in matre gravida poſſe monſtrorum cauſſam exiſtere, probabile ſatis eſt; quum enim animæ partes inferiores omnes à ſuperioribus in eodem vivente ad proprias operationes obeundas gubernentur; quod ſine alimento eſſe non poteſt, ut à nobis explicatum eſt in opere **De Vita*; quumque in ſemine degens virtus formatrix conceptuum utatur miniſterio caloris ſibi aſſiduè à matre per ſpiritus communicati; profectò ſimulacra rerum quæcumque vehementia fuerint in animo, & ſpiritu materno (utroque hoc ad fœtus organizationem cum paterni ſeminis virtute cooperante) poterunt in conceptu conſimiles imagines efformare, ob rationes alibi allatas in opere [a]*De perfecta conſtitutione hominis in utero*; ſed monſtrum excedens uniforme nunquam conſtituere valebunt, niſi vel geminatis membris, ut [b] dudum oſtendimus, vel quum gemelli concepti fuerint, quos variè in unum monſtrum copulent; nam ſola parentis cogitatio, ſolaque imago rei viſæ in ſpirituum ſubſtantia reſidens, ubi conceptus unicus extiterit, ex eo monſtrum efficere non poteſt uniforme, neque excedens in mole, neque deficiens; quia talis imago in matris animo, aut ſpiritu ſubſtantiam fœtus ulla ex parte nec augere, nec diminuere poteſt; quos autem conceptus invicem cohærentes in conſimilem imaginem efformare poteſt: atque hac ſanè ratione *Moguntinum* mon-


Parentum imaginatio ut monſtra excedentia efficere valeat.

* l. 2. c. 190. 200 l. 4. c. 65. 66.

[a] Cap. 26.

[b] Cap. 11.

monſtrum effingi potuiſſe cenſemus cum ſolertiſſimo
c 12. de ſubtil. *Cardano*, [c] qui alicubi hanc protulit hiſtoriam. In *Moguntino* quoque noſtris temporibus accidiſſe conſtat ut duæ mulieres, quarum altera prægnans eſſet, invicem colloquerentur; currens alia ſupervenit, quæ loquentium capita invicem colliſit; quæ gravida erat, dum pareret, ſigna timoris in infantibus expreſſit; ſiquidem duas puellas peperit, è ſumma fronte uſque ad naſum junctas in facie, ſic ut non niſi obliquè ſpectare poſſent.



Supervixit hoc monſtrum tamen uſque ad annum decimum: Altera mortua, atque ab alia vivente ex-

cisa, quæ supererat & ipsa mortua est; seu timore, seu pedore, seu animi molestia; quam misera dum altera ægrotaret contabescens susceperat, incertum est. (*Paræus* [d] opinatur eam obiisse propter inflictæ plagæ divulsificæ malignitatem) Certius illud est quod à multis quæsitum est sæpius, prægnantium affectus fœtus, qui in utero sunt, posse vitiare; unde tot maculæ in infantibus vini, suillæ cutis, punicorum malorum, ac talium: Nam quum mater harum puellarum concussa, timore imaginem collisi capitis retineret, capita puellarum in unum coierunt: neque enim id concussione sola factum credibile, quamquam non parùm ad hoc contulerit; quoniam sæpius mulieres magis casu collidunt ventrem, quam tunc, quum caput illa collisit; nec tamen gemini una coëunt: nam si modò concussio caussa hujus fuit, non jam capitis, sed dum caput alliditur, dorsi, vel ventris. Hæc ad verbum *Cardanus*. In quibus pleraque habebat subtilissimus *Scaliger* exercitationis incitamenta; sed negocium fortè detrectavit; quia de propositis *Cardano* consentiebat. Nos tamen illud in primis priori mortua superstitem ab ea excisam, nec timore, nec pedore, nec animi molestia brevi extinctam fuisse damus; quippe inde illæ passiones adeò vehementes ipsi non contigerunt, ut eam neci tradere potuerint: Nec *Paræo* concedimus ipsam sorori suæ non diu supervixisse propter inflictæ plagæ divulsificæ malignitatem; tum quia medici opera inflictæ plagæ malignæ non sunt, ut hostiles à telo venenato; tum quia rationabile est à perito medico talem sectionem ad arcendum sanguinis fluxum peractam fuisse candenti ferro, quo nulla inferri, sed si quæ fortè

[d] Lib. 24. cap. 2.

Cardanus notatur.

Paræus notatur.

Plagæ quæ malignæ non sint.

Plagæ ut à medico infligi debeant.

fortè subesset à præcisa parte deberet malignitas, & posset omnis auferri. Arbitramur itaque per illam conjunctionem capitum, per quam mutuus erat præcipuorum membrorum utriusque puellæ consensus, ab ægrotantis corpore halitus, & spiritus morbificos in alterius membra præcipua transfusos esse morbi consimilis in superstite procreatores; quæ propterea eodem morbo mox interierit. Quin & ea de caussa interiisse potuit, quia cum tali communicatione, caussæ morbificæ, sororis conjunctione destituta soror privata erat auxilio, quo per mutuam conspirationem alterutrum corpus ab alterutro gaudere consueverat; novimus enim assuetorum adjumentorum privationem morbos, & mortem inferre consuevisse; quot suppressis mensibus, quot assuetis hæmorrhoidum, narium, & fonticulorum fluxionibus destituti dilabuntur celeriter in morbos mortales? mirum cur à *Cardano Scaliger* non postulaverit in tantæ subtilitatis occasione, qua ratione, quove modo prægnantium imaginationes, & affectus animi consimilium rerum imagines in corpore fœtus efforment: & cur ipse suo è fœcundo penu tantam subtilitatem lectoribus omnibus cupientissimis more suo non porrexerit: nos de proposito mentis nostræ cogitata nuper tetigimus; sed latius in libro [e] *De Constitutione fœtus* explicavimus. Illud præterea distinguendum erat *Cardano* subtili, de tempore, quo contigit materni capitis collisio, si enim statim à conceptu, & ante organizationem gemellarum in utero, anteque formationem capitum discretorum prægnans capite allisa fuit; id certè fieri potuit, ut postea matris anima, & spiritus cooperans virtuti seminis formatrici monstrum effingeret, ac materiei gemellis

Assuetorum adjumentorum privatio morbos, & morbem inducit.

[e] Cap. 26.

Monstri excedentis origo varia.

constituendis sufficienti similem imaginem impertiretur. Id ipsum censeas si mater capitis collisionem passa est in ipso articulo conformationis capitum puellarum in utero. At verò si contigerit ultimis graviditatis temporibus, ac omnino jam efformatis puellis ab invicem discretis, caput maternum cum mulieris sibi colloquentis capite collidi, jam pura imago in animo, spirituque materno haud potis fuit disjuncta gemellarum capita in unum conglutinare. Sed hoc longè aliam habet rationem; quæ nobis ex rei natura nunc est indaganda.

Parentum phantasia quando nequeat gemellos conglutinare.

CAP. XX.

Decima caussa, & origo monstri excedentis in violenta materni corporis concussione reponitur.

Ubi gemellis in utero jam formatis, iisque distincta omnino corpora obtinentibus, posteriori gestationis tempore capitibus, aut quavis alia parte corporis, ob matris percussionem copulari contigerit: hoc certè monstrum haud aliam originem, & caussam habere poterit, nisi quia gemella capita in utero è regione sibi invicem opposita, & propè sita fuerint, quæ in magna illa materni corporis concussione ipsa quoque invicem collisa fuerint, & confricatione excoriata, sanguinisque glutine nudatæ externa cute partes sese contingentes ac jugiter crescentes facilè coaluere; vidimus enim sæpè, dum *Bononiæ* studiis operam navaremus, eximium præceptorem *Taliacotium* nares hominum præcisas refecturum prius excoriare cicatrices nasi, deinde brachii partem decorticatam naso ad unionem coaptare,

Gemelli in utero formati ut copulentur.

Nares præcisæ, & labia curta ut reficiantur.

Arbores variæ ut in unũ cohæreant.

re, ac fuere ad plusculos dies. Quin & arborum variarum partes decorticatæ, ac invicem ligatæ coëunt in unum corpus glutine succi alimentaris ad eas partes ab utraque arbore defluentis. Nec tamen obest *Cardani* oppositio de mulieribus, quæ sæpè casu magis colliduntur, quàm illa *Moguntina*, in quibus tamen gemini non una coëunt; siquidem in primis haud probat vir egregius gravidas geminos utero gestantes vehementius collisas geminos copulatos non peperisse. Deinde verò constituimus hoc ideò inter monstra nobis connumerari, quia rarò contingit; & quò rariùs accidit eò magis monstri naturam obtinere: sat nobis est caussam attulisse, à qua talis effectus proficisci valeat: Immò verò caussam monstrorum indeterminatam, & raram necesse est esse. Deinceps autem gemelli non semper eamdem servant in utero positionem, ut ex concussu materni corporis conglutinari valeant in monstrum. Denique negamus viro subtili caussam conjunctionis gemellorum in monstrosam formam esse non posse ventris, & dorsi materni collisionem, non autem capitis; nam simul cum capitis violenta, & vehementi collisione totum corpus, & quæ in materno corpore continentur gemellorum corpuscula invicem validè concuti necesse est; ac magis in collisione capitis, quàm ventris, aut dorsi; quia capitis dura substantia minimè cedens, sed ictui resistens, violonter percussa retrocedit; secumque retrahit corpus universum; at venter, & dorsum ob mollitiem cedens ictui collisionem perpeti potest etiam vehementem, corpore reliquo quiescente, nec agitatis in utero gemellis.

Monstrorum caussa indeterminata, & rara.

Capitis materni violenta concussio cur monstrum efficiat magis quam dorsi, aut ventris.

CAP. XX.

Undecima caussa & origo monstri excedentis refertur ad morbum fœtus.

CEterum alia eidem monstro, citra materni corporis collisionem, percussionemve ullam, origo esse potuit; nempe si gemellorum corpora in u-

Ex morbo fœtus ut fiat monstrum excedens.

tero prius distincta vel ambo, vel eorum alterum fronte tenus, defluxa in eum locum, aut ibi genita, ut fit, materia quapiam erodente, exesum fuerit; communicato corrosivo humore vicino capiti alterius; nullo negocio tenella utriusque cutis consumitur; capita verò propinqua, seseque contingentia excoriata facilè conglutinantur: Quare consumpto

Natura morborum medicatrix.

à natura (a *Hippocrati* morborum medicatrice) illo humore noxio, inductaque partibus undique cicatrice, gemellæ conglutinatæ in monstrum ex utero prodiere: cui origo vulgo relata est in materni capitis ad alterum allisionem, quia fortè contigerit matrem eas utero gerentem capite collidi; quum tamen hac etiam de caussa citra ullam capitis collisionem ejuscemodi monstrum illa parere potuerit. Ab hac itidem caussa in eodem genere pleraque alia monstra excedentia exoriri potuerunt; siquidem gemellorum fœtuum & pectora, & latera, & tergora, & brachia, & crura, & nates aliaque membra sic primùm excoriari, suborta in iis inflammatione, ac deinde uniri; sedatoque morbo conjuncta monstrum demum constituere; cujusmodi multas historias dudum recensuimis. Sic igitur ex tot caussis physicè generantur monstra uniformia excedentia; quorum origi-

a 6. Epid. sect. 5.

originem plerique omnes indifferenter in unam referunt materiæ redundantiam.

CAP. XXII.

Monstrorum ancipitis naturæ subsistentia realis demonstratur.

AT verò præter deficientia, & excedentia monstra in uniformium genere nonnulla fuere alia naturæ cujusdam ancipitis; quæ scilicet in una parte mutilam, in alia excedentem sortita sunt [a] quantitatem; quandoquidem [a] *Gualtherii Chronistæ* animadversione in pago *Freywerck*, non procul ab *Adorffio Voitlandiæ oppido*, natus est infans biceps, quaternis manibus, totidemque pedibus: sed carens utroque sexu; in cujus loco umbilicum habebat: mater illi fuit uxor fabriferrarij. [b] *Paræi* quoque observatione in *ponte Sæo*, ad *Andes oppidulo*, prodierunt in lucem gemellæ feminæ membris omnibus perfectæ, nisi quod alterutrius manus sinistra quatuor tantum digitis distincta erat; cohærebant autem anterioribus partibus à mento usque ad umbilicum; qui utriusque unicus, item cor erat; hepar in lobos quatuor divisum: vixit monstrum semihoram. Apud eumdem [c] autorem monstrum aliud inspeximus; ancipitis naturæ infans erat duplici capite, sed sinistro carens brachio in hanc effigiem.

Marginal notes: [a] Chron. chron. po. lit. tom. 2. — Anno Dñi. 1555. — [b] Lib. 24. cap. 2. — 1572. — [c] Lib. 24. cap. 6. — 1575.


Rüeffo



d Rueffo in *Veienti agro* puer natus est unimanus, & biceps. Eidem in *Anglia* non procul ab *Oxonia* MDLII. natus est partus duobus capitibus, brachijs quatuor, manibus totidem, ventre uno, membro muliebri, sede una: ex una parte pedes transversi duo erant, ex altera unus tantum, ritè exporrectus, forma duorum pedum digitos habens decem; Horum alter diebus quindecim, alter verò uno supervixit: Lacrymarunt hoc tempore rarò. Alter ex his lætus admodum, alter autem somniculosus & tristis extitit: viginti digitos transversos erat longitudo, & latitudo ipsorum. His simile natum est monstrum *Cutiliani*, ditione *Pistoriensi*, anno Domini

d lib. 5. c. 3

mini. M DC X. XI Martij, Patre *Majo Carbonatio* matre *Genevera Masi*, ætatis XVI. annorum.



Venetiis mulier Hebræa monstrum peperisse fertur ex duobus infantibus ad nates copulatis, utroque sexu 1617.
carentibus, & unico umbilico gaudentibus: tale quid ortum est etiam *Genuæ*, monstrum fuit infans perfectus, cui alter imperfectus inferiori ventre conjunctus adhærebat corpore longè minor, altero crure carens, captus oculis; nihil omnino lactans: ambo simul mejunt. De quo monstro recens nato mihi talem epistolã scripsit olim *Augustinus Pincetus Genuensis Medicus*.

P Per-

Perill. & Excellentiss. D. Observandiss.

D. FORTUNIO LICETO PATAVIUM.

AUGUSTINUS PINCETUS *Medicus Genuensis. S. D.*

OCcasione novi cujusdam monstri novissimè hic apud nos Genuæ nati, ad te pauca scribere placuit de illius historia, Vir Eccellentissime, tuum de ipso judicium expectans. Pellegrina uxor Baptistæ Colloreti die duodecima Martij anni millesimi sexcentesimi decimi septimi, in Parœcia Sancti Bartholomæi de Costa in ditione Genuensi, duos filios peperit simul invicem junctos in ventre inferiori, alijs partibus ab invicem disjunctis: ambo sunt masculi; unus est altero duplo major: & minor mancus est uno crure, in aliis partibus est benè conformatus, nisi quod oculos non habet apertos. Baptizati fuerunt ut duo corpora; unus appellatus est Joannes Baptista & alter Lazarus: Parentes eorum sunt optimè sani, & ante hos genuerunt alios filios benè formatos: Quod autem mirabile reddit hoc monstrum illud est, quod unus solus lac fugit, & ambo nutriuntur ac vivunt, & dum major sugit lac, observatur minori lac pervenire usque ad labia, quibus ipsum lambere pergit: quam rem ego vidi, & observavi, Dicunt hos duos filios eodem tempore foras emittere excrementum urinæ. Cupio te mihi aliquid hac de re scribere. Vale. Genuæ. die xix. Martij. M DC XVII.

Cui

Cui viro responsum tunc ego dedi in hac sententiam,

Perill. & Excellentiss. D. Observandiss.

D. AVGVSTINO PINCETO

Medico Genuensi

FORTUNIUS LICETUS


S. D.

P*Auca dicam de Monstro recens nato istic apud vos, vir egregiè, te remittens ad ea, quæ vulgavimus de natura monstri ancipitis explicata libro* 11. *capite xxij. & sequentibus: puto enim esse monstrum anceps à me ibi descriptum. Si foret ambobus unus ventriculus, facilè uno lactante solo, viverent & alerentur ambo; & minori è communi stomacho non difficulter ad os regurgitaret substantia materni lactis, quam ille mancus seu lambit, seu veluti ruminat, ne destitueretur illa priori nutrimenti digestione,*
1. can. f. d. 4. cap. 2. *quam in ore fieri monuit* Avicennas: *si etiam haberent commune jecur, ut habuerunt duæ femellæ* Riolani *in monstro* Lutetiæ *nato anno millesimo sexcentesimo quinto,* 1605. *ambo simul urinam reddere possent apud eos, qui putant urinam excrementum esse coctionis illius, quæ celebratur in stomacho, dicentes urinam separari à sanguine, peracta jam ea coctione nutrimenti, quam obimus in hepate. Aliorum monstri attributorum caussas habere poteris vir egregiè ex ijs, quæ nos de monstri ancipitis natura latè disseruimus in edito libello. Potest autem hoc monstrum diu vivere,*

quemadmodum diu vixit homo monstrosus ille, cui è pectore prominebat caput infantis intra præcordia reconditi; nec non viceversa illius alterius, cui è pectore collotenus abdito capite propendebat infans integer mirè pendulus. Verùm inspectione structuræ partium conjunctarum conjectari melius caussa poterit in vivente monstro; quæ ut ex nuda relatione satis aperta non potuit haberi, sic ex anatome cadaveris apertissimè posset intueri. Vale vir eximie, & me tui studiosum ama. Patavii. Calendis Aprilis M DC XVII.

Hoc idem Monstrum ego postea non semel vidi *Venetijs* & *Patavii* quadrimum; cujus ostentatione genitores ejus errones per orbem sibi victum comparabant, à spectatoribus sibi stipem erogantes.
1614. Anno Domini millesimo sexcentesimo decimo quarto III. Kal. Junij. hora diei vigesima circiter, in *Villa Porcetti* propè *Coloniæ* oppidum ex rusticis parentibus orti fuere gemelli monstrosè conjuncti veluti per tertium abdomen; quorum alter masculus fuit benè conformatus; alterius non fuit sexus distinctus, sed ejus vice cavitas quædam ad usque genua protendebatur, signum potius distinctionis coxarum, quàm feminei sexus: coxæ, cruraque in unum jungebantur, ut referre viderentur truncos duos plantarum coalescentes: loco pedum tres habuit carnosas propagines prominentes, in extremitate scissas ad instar fermè unguium Suis, aut Ovis. Obierunt à nativitate. Horum duorum monstrorum hæ fuerunt imagines.

Rueffo




Rueffo puer *Amiterni* natus eſt uno brachio, ſed pedibus tribus in hanc effigiem.



1569. *Paræi* verò relatu, anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo nono. *Turonensis* quædam mulier gemellos peperit unico capite conjunctos, & se mutuo complectentes: horum ad ipsum sceleton misit *Renatus Ciretus*, tota *Turonensi* regione famatissi-
1546. mus. Et multò prius eidem autori, anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo sexto, mulier *Lutetiæ* sexto graviditatis mense, fœtum peperit, geminum caput, bina brachia, & quaterna crura habentem. Cujus monstri cadaver quum dissecuisset, unicum cor reperit. Ex quo scire licet, unicum eum infantem extitisse.

C A P.



CAP. XXIII.

Monstri ancipitis origo, & caussa communis insinuatur; eruiturque prima ex materiei diversæ defectu, ac excessu.

MOnstrum ancipitem naturam obtinens, quod & excedentis, & deficientis in varijs sui corporis partibus imaginem refert, plures agnoscit originis suæ caussas; quas ex traditis assequi difficile non erit; simplicium etenim naturæ compositorum essentias manifestant: complicando igitur excedentis, ac deficientis monstri primordia, & generatio-

Monstri ancipitis caussæ variæ.

nes,

nes, quæcumque sese invicem compatiuntur, nullo negocio caussas monstra naturæ ancipitis proximè constituentes habere poterimus: Et sanè prima talium origo esse potest ex abundantia materiæ destinatæ constitutioni unius membri, & defectu materiæ, natura dicatæ origini alterius: sic profectò exortus est puellus biceps altero carens brachio; cujus imaginem sine historia nobis depinxit *Paræus*, cujusque imagini attexuit historiam *Rueffus*, asserens in *Veienti agro* puerum natum esse unimanum, & bicipitem; si modò is ille idem fuerit, de quo *Paræus*: scilicet si parentum seminis, & sanguinis ea portio, quæ ab alimento superabundante nutricationi capitis originem traxit, uterum adierit ea ubertate, qua duobus capitibus in fœtu constituendis sufficiat; ea verò portio, quæ à genitorum altero brachio ex ultimi alimenti superabundantia oriri consuevit, aptaque est constituendo consimili brachio in conceptu, in uterum non irrepserit; sive quia parentum illi brachio nihil superabundaverit alimenti ex quo tale semen, talisque sanguis effici potuerit, unde brachium puelli constitueretur: sive illa materia obstructis venis ad testes, ac uterum deferri nequiverit: sive quia contracta intemperie aliqua dispositionem amiserit, qua in semen, & sanguinem brachio puelli constituendo aptum nata erat commutari: sive quia calore partium consumpta fuerit: tunc sanè conceptus expers fiet illius brachii, & biceps, si materia capiti constituendo apta in duas partes intra uterum quacumque de caussa dividatur: secus enim unam in massam cohærens unicum efficiet caput, majus quam par sit, pro ceterorum membrorum proportione: atque ita fiet monstrum anceps: seu Prima explicatur.

biceps

CAP. XXIV.

Secunda monstri ancipitis origo, & caussa ex uteri angustia, & defectu virtutis formatricis explicatur.

AT verò monstrum anceps exoriri etiam potest ob uteri angustiam, & defectum virtutis formatricis simul convenientibus: quibus enim feminis
[a] Cap. 5. uterus angustior aliqua ex [a] antea relatis caussis contigerit, quàm ut in eo commodè gemelli contineantur, & augeantur: si portio seminis halituosa ex aliqua parte parentum determinata materiam suæ originis trahens, cum reliquo semine ad uterum non confluxerit, aut in parva nimis quantitate confluxerit: inde sanè monstrum ancipitis naturæ generabitur, uteri angustia copulante gemellos, & formatricis imbecillitate aliquorum membrorum constitutionem prætermittente. Sic profectò monstrum in
[b] Cap. 22. ponte *Sæo* ad *Andes* oppidulo dudum ex [b] *Paræo* relatum exoriri potuit: nempe seminis utriusque pars crassior, & materni sanguinis portio tanta fuit, ut gemellorum constitutioni sufficeret: sed spirituosa spermatis portio duplici cordi, & absoluto digitorum numero constituendo pares vires non habuit, seu ob alias caussas, seu quia portio illa seminis spirituosior à digitis parentum priorem materiam suæ generationis hauriens, in uterum quacumque occasione non irrepserit; quare concurrente uteri angustia gemellæ cohærentes uno corde, ac digito captæ in sinistra manu originem facilè habuere.

CAP. XXV.

Tertia monstri ancipitis origo, & caussa in morbo fœtus, & superfœtatione detegitur.

IN eodem genere monstri ancipitis pleraque oriri etiam possunt ex superfœtatione, ac maximè prioris conceptus ægritudine simul convenientibus; ubi enim superfœtationem gravidas perpeti contigerit, & novum conceptum pristino quavis ratione cohærere; atque alterius embryi particulam aliquam vi morbi sanabilis absumi: tunc sanè monstrum exorietur ancipitis naturæ, deficiens quidem aliqua particula vi morbi consumpta, sive nimium emaciata nutricatum debitum sibi ad vitæ munia obeunda, & ad aliarum partium proportionem incrementum habere nequiverit: sive corrodentis alicujus humoris malignitate penitus exesa fuerit: exundans autem evadet idem monstrum ob superfœtationem, qua posterior conceptus pristino copulatus, & coagmentatus viventes duos unit in monstrosam figuram. Immò verò etiam sola superfœtatione citra ullum interventum morbi, monstrum ancipitis naturæ generari poterit, si posterior conceptus priori copulatus, vel prior, vel uterque ab origine sua quopiam membro caruerit quacumque alia ex caussa.

CAP.

CAP. XXVI.

Quarta monstri ancipitis origo, & caussa refertur in materiæ ineptitudinem, ac iteratam materni seminis, & sanguinis effluxionem ad uterum citra superfœtationem.

SIn autem gravida mulier citra veneris actum, solo imaginationis venereorum stimulo incensa, vel etiam ob seminis abundantiam sive dormiens, sive vigilans, iterum seminis portionem, ac menstrui sanguinis intra uterum effundat ea ratione, ut hæc materia præexistenti conceptui quomodocumque agglutinetur, atque cohæreat; jam poterit vi seminis paterni adhuc in primo conceptu existentis, spirituosa pars feminei seminis adjuta novelli fœtus partes animare, atque constituere aut omnes, aut aliquas, pro materiæ quantitate, ac aptitudine; siquidem omnes integri fœtus partes efformare posset; monstro excedenti occasionem daret; quod in ancipiti genere collocaretur aliqua pristini conceptus materiæ portio inepta, quæ alicujus membri naturam induere non potuerit: atque ita eo membro spolians conceptum, defectu excessui adjecto, ancipitis naturæ monstrum enasci oporteret; sin autem fœtus posterior priori additus aliquo membro destitueretur, sive ob materiæ illius partis constitutioni à natura destinatæ ineptitudinem, sive ob ejusdem materiæ absentiam, monstrum itidem ancipitis naturæ procrearet aliqua parte redundans, aliqua deficiens, ut puerum tripedem unimanum, vel unicipitem infra bicorporeum altero crure carentem; & id generis.

CAP. XXVII.

Quinta monstri ancipitis origo, & caussa depromitur ex parentum corpore monstroso.

SI verò parentes ambo ancipitis naturæ monstrosa corpora seu à nativitate, seu ob ægritudinem habuerint, adeò ut venerem agere, ac ex actu venereo prolem suscipere valeant; procul dubio fœtus procreare poterunt ancipites cum in eadem, tum etiam in diversa monstrorum specie: in eadem sanè, si parentes in consimili monstri specie contineantur: siquidem ex trimanis unipedibus trimanus unipes orietur: in diversa verò, si parentes ancipitem monstri naturam diversæ speciei obtinuerint: nam ex unoculo, & tripede genitore, ac matre unimana, & octodigita monstrum enasci poterit unoculum tripes, unimanum & octodigitos in manu habens; si ex omnibus parentum membris materia seminalis ad fœtus constitutionem concurrere contigerit: sed fieri etiam potest ut varietur monstri species in fœtu, quia ob aliquod impedimentum ex iis, quæ supra enumerata sunt, aut quæ partes in uno parente sunt, suppleant defectum earum, quæ in altero non existunt, uberem seminarij principij copiam exhibentes: aut quæ partes in utroque sunt generante, nihil transmittant ad uterum pro constitutione partium fœtus sibi consimilium.

Sexta

CAP. XXVIII.

Sexta monstri ancipitis origo, & caussa ex vehementi parentum imaginatione, & vitio nutricationis in fœtu enucleatur.

VEhemens quoque imaginatio parentum, ac speciatim feminæ, ob rationes allatas in libro a *De Humani conceptus constitutione*, monstri ancipitis originem promovere potest; nimirum si mulier gemellis concipiendis materiam sufficientem in utero habuerit, virtutemque utrique conceptui efformando idoneam; vehemens imaginatio gemellorum in una quapiam parte corporis copulatorum, si adjunctam habuerit in fœtu alicujus membri atrophiam, facilè jam tibi producere poterit ex geminis turpiter in unum junctis monstrum anceps, tabefactam obtinens particulam quampiam, reliquarum magnitudini nullum proportionis signum correspondens, obtinentem.

a Cap.26.

CAP. XXIX.

Monstri ancipitis origo, & caussa septima reponitur in arte peccata naturæ imitante, ac non sine auxilio naturæ operante.

ARtem etiam esse ancipitis monstri conficiendi, mirum fortasse videbitur alicui, & ad nostrum institutum minimè pertinens, qui Physiologiam tractamus in hoc opere. Verùm quoniam Philosophum naturalem decet omnia naturæ opera contemplari, seu

Physicum quæ deceat contemplari.

solitariè operetur, seu alteri cuipiam efficienti cooperetur: quando ars, si aliqua est monstra effingere valens, hoc ipsum sine opera naturæ præstare nequeat: immò verò quum origo monstrorum à natura præcipuè pendeat. artis autem operatio sit solùm applicare activa passivis naturalibus: jam physici muneris est monstra in viventium genere artis ministerio facta considerare. Porro artis beneficio, seu verius maleficio, viventia monstra effingi posse primùm observamus in stirpibus; siquidem agricolæ variarum arborum insitione, colligationeve, quo magis unitæ stirpes specie invicem diffideant, eo ex ijs conjunctis vivens monstrosam magis naturam obtinebit. Deinde verò in mentem subit solertissimum præceptorem *Taliacotium* per insitionem consuevisse curtas aures, & nares, curtaque labia curare, brachio primùm partibus illis excoriatis conjuncto; quod poterat nullo negocio inducta cicatrice ijs partibus, conjunctum relinquere in monstrosam effigiem: ut apparet ex ejus disertissimo libello. Non dissimili planè ratione factum est,

Ars monstra non efficit sine opera naturæ.

Ars ut monstra efficiat.

Ars monstra ut efficiat in stirpibus.

et in hominibus.

466. ut Anno Domini quadringentesimo sexagesimo sexto, referente [a] *Jordane*, & *Cuspiniano*, in *Gallia* duo juvenes fulmine tacti adustione in unum concretis corporibus inventi sint. Sed & homines adustione pedum, manuumque, aut capitis, malè curatos monstrosam effigiem præseferentes plurimos conspeximus. Non ergo mirum sit, si ambulones aliquot provincias peragrantes monstra mirifica ostensuri ad lucrum, ea prius sibi confecerint puellorum corpora miris modis aliqua ex parte, potissimum carnosa, ut dorso, natibus, & brachijs, decorticata, invicemque colligata, & à natura per transfusum sanguinem

[a] Lib. annal. in consul.

guinem, ac nutricationem in unum coagmentari permissa; alia quapiam parte amputata, ad horridiorem monstri aspectum. Averruncet Deus, & severè puniant Principes tales sycophantas. Sed etiam sine ullo scelere ob chirurgorum aliquorum imperitiam, atque aliquando ob ægrotantium negligentiam, membra corporis vulnerata, excoriata, è naturali loco dimota, ad pristinum statum haud probè restituta monstrosam hominis formam repræsentant. Hæc autem extra uterum monstra gignuntur, quæcumque artis ministerio constituuntur. Tot igitur, ac tales sunt, & his aliæ consimiles unicuique ex superioribus deductu faciles origines, & caussæ propriæ monstrorum humanorum ancipitis naturæ. Jam ergo ad alias monstrorum species in eodem genere patefaciendas accedamus.

CAP. XXX.

Monstri difformis existentia ex historicis promulgatur.

MUlta in eadem uniformium serie fuere monstra, partes de naturali sede transpositas turpiter habentia; quæ difformia nobis appellare libuit. Anno Dñi. Namque *Venetijs* [a] *Petro Iustiniano* historico insigni, *Rubeaquense*, *Gualtherioque* autoribus, puer editus est corpore plurivariam scisso; qui, præter multa fœdiora relatu, genitale membrum habuit vertici adnatum.; atque ob eam rem non 1487. placuit in apertum referri. [b] *Cælij Rhodigini* testimonio natum est in patrii soli vico, nomine *Sarzano*, magnitudinis inusitatæ monstrum; infans 1514. fuit


[a] Hist. Venet. lib. 10.

[b] 24. lect. ant. ca. 3.

fuit biceps; multa in eo mira; quadrimestris magnitudo, membra omnia cum proceritate responsum habentia, & amussitata; facies utraque similitudinis propè indiscretæ; in capitibus crines aliquanto longiores, ac nigricantes; inter utrumque caput ex collimitio humerorum tertia manus exerebatur, sed quæ aures longitudine non excederet, nec integra visebatur omnino: Quia verò non solùm ob excessum geminatorum capitum; sed ob transpositionem tertiæ manus inter colla, visenda res erat, mitti placuit ad *Hispanorum Ducem*, qui in proximo vicaria Regis fungebatur potestate: Id autem ut citra putredinis notam posset obiri; exenterare præmortuum necesse fuit: inibi ergo mirum aliud; cor quidem simplex, ut assolet; at jecur duplex, sicuti & lien; nam in viscere hoc visam quandoque duplicationem credimus [c] *Aristoteli*; verùm in hoc, hujusque generis monstris mira quidem, sed naturalis tamen à peritis rerum ratio afferri solet.

c 4. de gen. an. cap. 4.

In




In *Ploa Voitlandiæ* oppido, *Rubeaquenſis* teſtimonio infans natus eſt, in quo neque dorſum, neque venter apparuit; inteſtina circa pectus ex aperto corpore longè dependebant; caput verſus pedes inclinavit; umbilicus fuit in mola dextræ tibiæ; caput acuminatum fuit ad ſimilitudinem cidaris, aut tiaræ, in hanc effigiem. 1547.



1550. *Luneburgi* ortus est infans ore distorto; unde *lingua* fissa, quasi duplex, exerebatur. Simile monstrum
1553. ibidem triennio post exortum est *Stetini*, autore
1554. *Fincelio*, in suburbio monstrum enatum est, cui capitis loco massa informis erat, mobilis, ut extra ovilla; loco unius auriculæ brachium stabat; loco faciei cincinnus similis pilis felinis; & lupi piscis ovà, per quæ inferius lucebant ocelli vitrei, & renidentes; os contractissimo erat foramine, sine labiis, nasus quoque minutissimus erat; absque collo; alterum brachium è latere prominebat: sed neque pectoris, neque dorsi effigies aderat; lineola solùm notabatur rachi; nullus erat omnino sexus: brachia, & longa crura continuo rigebant

gebant osse sine juncturis, cubitis, & poplitibus: manus, & imi pedes erant molles, & penduli tanquam bis fracti, similes unguibus curvis, & aduncis *Lutræ*: mortuum mater peperit, licet in utero viveret. Cujus imago initio capitis visa est cum monstro *Sarzanense*. *Ambrosius Paræus* confitetur *Villæ Francæ* in 1562.
Vasconia ortam esse puellam sine capite, habentem aures in scapulis retro, nasum inter eas in spina, qui proboscidem parvam referret; oculos in humeris retrorsum aspicientes; & linguam sursum exertam, unde collum provenire debuisset: cujus monstri effigiem à *Fontano Agenensi Medico*, qui se id vidisse sanctè affirmabat, acceptam [d] *Ioannes Altinus* Doctor Medicus *Paræo* tradidit hujusmodi.

[d] lib. de mirab. & longæ.



Sed & testimonio *Phlegontis Tralliani Cæsaris Liberti* multò prius infans ortus est caput habens è sinistro enatum humero.

1624. Annno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo quarto die XII. julij, *Firmi*, quæ civitas est *Italiæ* in *Æmilia*, dum Urbi Præfectus esset *Octavius Riparolia Genuensis*, exorta est puella toto corpore benè organizata, excepto capite, quod est aspectu fœdissimum; nam videtur in occipite velut oculus obscurus: alter oculus visitur elatus in capite supra suturam coronalem, referens oculum humanum, & paullò majorem, sed sine palpebris, & absque ciliis, quorum vice sunt capilli capitis. Monstrum id habet frontem rugosam, sub qua utrimque spectantur parvæ quædam cavitates, ubi debebant naturaliter esse oculi. In media facie, ad locum nasi, erumpit frustum carnis, quod pendet veluti membrum virile (licet mihi videatur potius pyri carnei figuram æmulari) & est aliquantulum crassiusculum in apice; ubi spectatur etiam quoddam foramen: quod carneum frustum, velut appendix quædam, à vultu monstri pendulum separatur omnino præterquam in radice: sub hoc seu naso, seu pyro, seu proboscide, residet quædam rubea pellis quasi figuræ quadrangularis; & utrimque in ea spectantur oculi duo, velut oculi gallinæ. Ab ortu statim puella monstrosa sacro fonte baptizata fuit: & prius interiit, ac sepulturæ mandata, quàm ejus origo vulgaretur. Ego (scribit *Riparolia*) ad primum nuncium, eam curavi exhumandam, ut balsamo condiretur: sed inveni jam illi mures consumpsisse vultum, & fermè totum caput. Quidam Pictor, qui monstrum & vivum, & mortuum aspexit, ejus imaginem pinxit: quæ


quæ cum ſerie facti, tunc Romæ tranſmiſſa, ad Eminentiſſimum ac Reverendiſſimum Sacræ Romanę Eccleſiæ Cardinalem *Franciſcum Barberinum* Sanctiſſimi Domini noſtri *Urbani Octavi* nepotem, nunc demum ex *Urbe Roma Patavium* miſſa fuit ab eximio Equite *Caſſiano à Puteo* ejuſdem Cardinalis pincerna ad Clariſſimum Virum *Laurentium Pignorium*; qui mihi noſtro volumine dedit inſerendam, cum hiſtoria nuper fide relata ex autographo *Riparoliano.* Monſtri verò ejuſdem, ut pictor ille, ſic & nos triplicem damus figuram, ut poſſint



pars anterior, posterior, & lateralis, in quibus adsunt partes à naturali situ, & sede, atque figura prorsus abjunctæ.

Huic monstro simillimam faciei effigiem obtinet aliud, quod habuit caput *Jani bifrontis*; & utraque facies loco nasi membrum virile; quod altera quoque sortita est cum testibus in loco menti: ad radices portentosi nasi parte inferiori utraque facies pariter habuit geminos oculos; altero vultu aures longè infra locum naturalem, altero illas ad sedem naturalem obtinente: incertum an masculeo sexu natum, an femineo: certum est ortum paullò ante quàm *Rex Galliæ* superiori seculo cum exercitu non ita faustis auspicijs in *Italiam* venisset. Imaginem nuperrimè transmisit *Patavium* ex *Urbe Roma* vir eruditissimus *eques Cassianus à Puteo*, scribens eam deductam fuisse ex icone *Leonardi Vincij*, servato in Musæo Eminentissimi & Reverendissimi Cardinalis Francisci Barberini, qui picturam emit una cum alijs plerisque rebus eximij sculptoris, ac pictoris *Villamenæ*, non ita pridem vita defuncti. Monstri verò effigies talis erat.

Sic



Sic ergo reipsa fuere monstra partes transpositas habentia, quæ Difformia nuncupavimus.

C A P.

CAP. XXXI.

De Monstri difformis natura, & caussis; primaque illius origo resolvitur in malam uteri conformationem.

MOnstri difformis ob partium è naturali sede transpositionem, ac speciatim puelli caput exerentis ex humero sinistro caussa, & origo est ex uteri mala conformatione: quia scilicet ea pars uteri, quæ capiti puelli naturalem locum præbere debebat, aliquo duriori tumore quomodocumque repleta, sive is in ejus substantia insideret, sive intra illam in contenta membrana fœtum ambiente, sive extra ipsam in aliqua parte obdominis interiori propè uterum sita: nequeunte enim parte illa materiæ, quæ constituendo capiti dicata est à natura, reliquæ massæ conceptus in eo loco adjungi, quo deberet, eum alieno corpore minimè cedente repletum inveniens, cogitur in vicinas quantum potest sedes decumbere: ibique propriam formam capitis à vi formatrice adipiscens, importuno in loco collocato capite monstrum difforme constituit.

CAP.

CAP. XXXII.

Secunda monstri difformis origo, & caussa spectat ad malum situm placentæ nuncupatæ: cujus usus explicatur.

EIdem monstrorum generi consimiliter originem præbere poterit moles illa carnea placentæ referens imaginem, & uterini jecoris bellè usum obtinens in gravidarum utero, ex menstruo sanguine sensim ab orificijs vasorum effluente, & concrescente genita; uteri fundo, & superiori parti adnexa; in qua maternus sanguis fœtui nutriendo ulteriori elaboratione aptior efficitur; quod scitè primus omnium anatomicorum observavit *Arantius:* nempe si placenta hæc majorem in magnitudinem intumescat, majoremque duritiem contrahat, quàm par sit; & alienum à natura situm, quacumque ex caussa sortiatur; tunc locum occupans debitum alicui parti formandi conceptus, eam à naturali sede pellens orientem, ac proinde ob summam mollitiem duriori corpori concedentem, membrorum naturalem situm vitiat, monstrumque difforme constituit. Atque hac ratione ortum habere potuit monstrum ore distorto, partibusque turpiter nimium hiantibus, ac scissis, transpositisque; interposito nempe duriori placentæ corpore, ac molliores illas de sibi debitis locis expellente; cujusmodi monstra dudum notavimus *Nursiæ*, ac *Stetini* genita.

Placenta uteri jecur, ut gignatur.

Cujus finis gratia

Ut monstrum difforme constituat.

CAP. XXXIII.

Tertia difformis monstri caussa, & origo ex mola depromitur.

Mola quid, & unde orta.

Ut monstrum difforme faciat.

NOn dissimilem consimili monstrorum speciei caussam, & generationem tribuisse poterit & mola, carnea substantia nonnunquam in utero mulieris ex vitiato semine genita; si contigerit eam sive per superfoetationem post conceptum, sive ante conceptum, sive simul etiam procreari; ipsa enim potest tum mole sua nimia, tum duritie sua pervicaci, tum motu suo incondito, & inordinato, tum pondere suo gravi varias partium foetus transpositiones efficere monstrosas, nunc distorquendo membra eorum pulsu ad vicinas sedes; nunc scindendo partes; nunc ad loca remotiora illas pellendo; nunc in alia membra velut intrudendo: & hac sanè ratione procreari potuit monstrum sine capite oculos habens in pectore à *Paræo* relatum; scilicet à magna, & dura mola comprimente pulsa, & intrusa materia capitis constitutioni destinata in regionem thoracis.

CAP. XXXIV.

Quarta monstri difformis origo, & caussa ostenditur ex motu.

DIfformium monstrorum origini caussam exhibere poterit etiam motus materiæ, quæ determinatarum partium foetus constitutioni dicata est à natura; ubi etenim sive à flatibus in utero genitis, sive à percussione ventris gravidarum, sive ab earum casu, sive à vehementi aliquo alio earumdem motu mollissimi conceptus aliqua portio de pristino loco,

Motus ut monstrum difforme producat.

situque

situque naturali violenter divellatur, & in alienam sedem transferatur, ibi non cognatis sibi membris veluti per insitionem adhærescens, monstrum membrorum turpi transpositione difforme in esse constituit. Sic planè dixerim olim enata fuisse monstra quamplura, quorum supra * memoravimus historias. * cap. 30.

CAP. XXXV.

Quinta monstri difformis origo & caussa statuitur imbecillitas facultatis discretricis.

QUoniam partes omnes utriusque seminis, & materni sanguinus, ex quibusque parentum membris materiam sibi ab eorum nutricationis superabundantiis haurientes, dum in utero ad primam conceptus constitutionem conveniunt, simul in unum confunduntur, ac exactissimè permiscentur; necesse est in semine præter vim formatricem membrorum, adesse quoque aliam facultatem, quæ rudis, atque confusæ illius massæ partes singulas discernat, & quasque suis locis applicet, qui à natura debentur iis membris, quorum constitutioni sigillatim partes illæ inservire debent: uti latius à nobis ostensum est in opere * *De humani fœtus constitutione*: Si verò contigerit in semine vim quidem formatricem robustam esse, at facultatem separatricem, discretricemque partium materiæ conceptus, sive ob ineptitudinem instrumenti proprij, sive ob vitium temperamenti, quo nititur, adeò imbecillam esse, ut nequeat proprium munus adimplere: tunc vis formatrix valida infirmam separatricem habens adjunctam, & munere suo non functam, ociosamque, in

Necessitas virtutis discretricis in semine.

* cap. 7. 8. & seq.

Facultas discretiva ut monstra difformia producat.

confuſis illis abſque ordine partibus varia membra effingit, quorum eæ naturali ſua propenſione capaces exiſtunt, non obtento eorum ſitu naturali: quocirca monſtrum partium convenientem ſitum, & ordinem inter ſe non habentium difforme generatur: cujuſmodi generationem inter cetera obtinere potuit *Stetini* monſtrum.

CAP. XXXVI.

Sexta origo, & cauſſa monſtri difformis ad nimiam materiæ viſciditatem redigitur.

Materiæ viſciditas ut monſtrum difforme conſtituat.

SIn autem cum formatrice facultate diſcretrix in ſemine virtus valida ſatis extiterit, quantum poſtulat naturalis, & ordinaria materiei, quam ſubigere debet, conſtitutio: at verò in maſſa conceptus aliqua particula, ſive redundans, ſive non redundans, fuerit tenaci adeò lentore alicui particulæ diverſo à ſibi conſentaneo loco ſitæ juncta, ut inde nulla vi, neque valida facultate revelli, & in convenientem ſibi regionem transferri valeat: tunc virtus formatrix membrum ex ea formans, ad quod illa materia determinatam, & naturalem habet propenſionem, difforme monſtrum effingere cogitur: virtus enim partium viventis formativa eſt agens merè naturale; agentia verò purè phyſica ubicumque locorum materiam diſpoſitam compererint, munere ſuo ex neceſſitate funguntur, illique materiei debitam formam conciliant: & profectò hac ratione ortum fuiſſe potuit *Sarzani* monſtrum tertiam manum inter duo colla retinens: & alia quoque in hoc genere plurima.

Agentia purè phyſica ut ex neceſſitate operentur.

CAP.

CAP. XXXVI.

Monstra informia debitam membrorum figuram non retinentia reipsa inveniri.

INforme illud monstrum appellamus, cujus vel toti corpori, vel alicui parti præcipuæ, conspicuæque non inest figura naturalis, sed alia ab ea longè dissidens. Fuisse verò & in hoc genere monstra humana constat apertissimè apud [a] *Hippocratem*, qui *Antigenis* uxorem perperisse fatetur carnosum puerum, exossem totum, crassum, & rotundum; qui membris, & præcipuis corporis partibus distinctus, magnitudinem quatuor digitorum non excedebat. Multò post ex *Rubeaquensis, & Gualtherij Chronistæ* relatu in *Saxonia* infans natus est horrendo aspectu, contusis, laceratis, atque laxatis membris omnibus: capite oblongo, & quasi *Turcico pileo* insignito. *Tundorfij* quoque figuli uxor monstrum peperit horrendum: erat autem à vertice ad hypochondria hominis figura, ore tamen prominente ad instar canis: facie torva: ab umbilico verò destitutum reliquis partibus corporis humani, descendit in formam pyramidalem, in cuspide referens similitudinem caudæ Suis inflexæ; in dorsi autem spina umbilici alia imago prætensa erat: erecta tamen instar caudæ: sexus nullus omnino apparebat, non masculi, non feminæ, non androgyni. In agro *Piceno Jacobi Rueffi* [b] testimonio natus est infans absque brachijs, à genitalibus itidem desinens in conum quasi pyramidis, nullis coxis, tibiis, aut pedibus: erat autem sexu masculino, ceteras partes integrè formatas


[a] de morbis vulg. sect. 2.

Anno Dñi. 1545.

1556.

[b] 5. de concep. cap. 3.

tas obtinens. *Basileæ* verò *Gualtherio* infans adeò scissis, & apertis naribus ortus est, ut inde illius cerebrum facillimè sit conspectum.



Divo [c] *Augustino* apud *Hipponem* natus est homo quasi lunatas habens plantas, & in eis binos tantummodo digitos, similes & manus. Non sunt itaque figmenta monstra informia naturalem corporis totius, vel partium aliquarum convenientem figuram non habentia.

c 16. de civit. Dei. cap. 8.

CAP.

CAP. XXXVIII.

De monstrorum informium origine, & caussa; quæ primùm deducitur ex imbecillitate facultatis formatricis.

AT verò monstrum informe, quod in eo totam sui naturam constitutam habet, ut aliqua portio corporis figuram maximè alienam gerat à naturali, alias obtinuit suæ generationis caussas: quarum primam esse putamus virtutis formatricis imbecillitatem: quum enim ad hanc virtutem solam, & maximè pertineat effingere singularum partium figuras: ubi quæ in seminis ea portione residet, cui præcisè alicujus membri determinati conformatio destinata est à natura, ita debilis extiterit, sive ob caloris inopiam, sive ob spirituum, quibus innititur, intemperiem, sive ob aliam quamcumque caussam, tunc sanè parti sibi efformandæ naturalem, ac debitam suæ speciei figuram non inprimens, monstrum conficit informe. Et sanè de caloris excessu, & defectu in proposito meminit [a] *Aristoteles* alicubi scribens, *Inest hic calor in excremento seminali tantam, talemque habens motionem, quanta modicè ad quamvis corporis partem accommodetur. Quod si vel deficit, vel excedit, rem, quæ fit, aut deteriorem efficit, aut læsam, & mancam.* Sic [b] *Hippocraticus* ille puellus ex *Antigenis* uxore rotundus totus enatus est.

Cujus virtutis intersit efformare membrorum figuras.

[a] 2. de gen. an. c. 4.

[b] 2. de morbis vulg. sect. 2.

CAP-

CAP. XXXIX.

Secunda monstri informis origo, & caussa ex angustia uteri colligitur.

HUic informi monstrorum generi procreando satis dici non potest quantum uteri conferat angustia, undecumque illa dependeat: sive à naturali matricis exilitate, sive à ventris affectata constrictione, compressioneve, sive à vicinarum partium, aut uteri duro tumore; sive à multitudine fœtuum simul conceptorum: quum etenim crescens indies embryo locum amplum non habeat, in quo pro ratione sui augmenti partes omnes corporis extendere commodè valeat; prominentiores ob suæ substantiæ mollitiem angustiæ loci facilè cedentes, variis, mirisque modis in seipsas contorquentur, & ad continentis loci figuram turpiter conformantur; quam informitatem diu in utero sustinentes, habitualem reddit caussa, conservans illam multo tempore; unde monstra enascuntur turpi distorsione informia. Sic exortum dixeris puerum pedibus manibusque mirè distortum à [a] *Paræo*, [b] & *Rueffo* descriptum.

Uteri angustia unde pendere valeat.

[a] Lib. 24. cap. 2. [b] 5. de concep. cap. 3.

CAP. XL.

Tertia informium monstrorum caussa; & origo in motu inordinato reponitur.

OB materiæ fœtus in utero degentis teneritudinem cum visciditate conjunctam fieri quoque potest ut quacumque de caussa membrum aliquod infantis inordinato, ac vehementi motu cieatur, pars ea corporis mirè in monstrosam figuram distorqueatur; sive materna culpa enormes corporis agitationes

nes fiant, ut in validioribus choreis, & saltationibus; sive ab externo aliquo motore gravida violenter concutiatur; sive temerè fœtus ipsemet in alvo sponte moveatur: & eo sanè magis monstro informi vehementior motus originem præbere poterit, si motum fieri contigerit in angusto nimium utero. Sic profectò genitum dixeris infantem illum adeò scissis, & apertis naribus, ut per eas cerebrum inspicienti manifestè pateret; intrusis nimirum intra nares puelli digitis, & post digitulos etiam manibus integris, odorandi meatus mirè sensim sine sensu in monstrosam informitatem diducentibus.

CAP. XLI.

Quarta informis monstri origo, & caussa depromitur ex mola, & placenta, tumoreque uteri, concurrente virtutis formatricis imbecillitate; ac materiæ ineptitudine.

SEd informitas illa maxima, quæ observata fuit in puello habente partes ab umbilico infra in pyramidalem figuram desinentes, nullamque membrorum humanorum imaginem præseferentes, plures habuit in unum concurrentes caussas monstrificas; nimirum virtute illarum partium formatrice debili suam functionem intermittente; rudique, ac inepta illa materia hinc à dura mola, illinc ab excrescente placenta, & tertio ex latere à tumore uteri compressa in conum pyramidis; cujus cuspis acutior ab angustia loci in suillæ caudæ similitudinem contorta esse potuit. Quæ quidem caussæ ut difficili negotio in unum coëunt; ita monstrorum origini adscribi optimè possunt; quorum natura est ut rarò admodum proveniant.

CAP. XLII.

Quinta informis monstri origo, & caussa ex imaginatione parentum vehementi explicatur.

CEterum aliquas etiam monstrosas informitates à vehementi parentum imaginatione, potissimumque matris, seu vigilantis, seu dormientis, embryj corpusculo præsertim organizationis tempore imprimi posse, nihil est quod prohibeat satis; & eò minus, quò facilius est vigenti, urgentique phantasiæ spectro conceptus alicujus membri figuram distorquere, atque à naturali constitutione turpiter variare, quàm partis alicujus aut magnitudinem adaugere, aut numerum geminare, aut situm permutare: At verò & [a] alibi fusè demonstravimus imaginationis generantium simulachra vehementiora facilè posse in embryj substantiam alienissimarum rerum imagines, ac figuras insculpere; quæ theoria inde huc nobis transferenda non est. Ita ergo fieri potest ut visi monstri consimilis à parentibus, vel etiam per somnium, simulachro imaginationi eorum altè defixo; indeque spiritibus, ac virtuti formativæ impresso consimilis figura in membris embryj generetur.

[a] De hum. fœt. const. cap. 26.

CAP. XLIII.

Sexta informis monstri caussa, & origo in monstroso parente detegitur.

SIn autem parentum aliquis, aut ambo monstrosam informitatem in corpore, sive ortu, sive

post ortum à morbo contraxerint; næ ipsi filios sibi consimiles, atque adeò monstrosos procreare poterunt; non quidem semper, quia unius informitati parens alter consulere poterit, si aut non ambo informes extiterint, aut non eadem corporis parte, aut non longè à concubitu vi morbi in talem informitatem inciderint; adeò ut seminis ante informitatem geniti aliquid habeant fœtui constituendo sufficiens. Sin minus, ex monstrosis parentibus informes itidem filij procreabuntur: mirè namque pertinax est cujusque natura viventis in generanda sobole sibi quantum fieri potest quamsimillima: Quin & lapsam parentum essentiam in generatione filiorum errare non est difficile.

CAP. XLIV.

Septima informis monstri origo, & caussa refertur ad menstruorum fluxum tempore conceptus.

QUum autem parentes liberorum procreationi menstruæ purgationis tempore operam dare voluerint, monstrorum generationi sese obnoxios reddunt, vel è sacrarum litterarum testimonio; [a] lib. 24. siquidem nobiscum & [a] *Paræus* apud [b] *Esdram* c. 1. [b] lib. 4. *Prophetam* se legisse confitetur, mulieres, quæ cap. 5. fluentibus mensibus viro se miscuerint, monstra [c] cap. 3. parituras: [c] *Solinus* etiam in *suo Polyhistorico* ex *Democrito Physico* asserit mulieris profluvia menstrualia non parvis spectata documentis inter monstrifica meritò numerari; cujus ea ratio est, quia tunc menstruo primæ partium fœtus constitutioni apto, ut puta ex residuo ultimi alimenti membrorum

omnium parentis exorto, commistum est menstruum alimentare, nondum vi tertiæ coctionis ultimam dispositionem adeptum ad induendum naturam cujusque membri determinatè: quare ex illa menstrui utriusque confusione non nisi monstrum informe potest exoriri. Sic sanè ortum dixero *Rueffi* monstrum, & alia.

CAP. XLV.


Monstri enormis existentia patefit.

HUmana corpora, eorumve membra, quibus nihil desit, nihilque supersit; nec situs, aut figuræ ullum adsit erratum; sed in sóla substantia ordinarium naturæ cursum non servantia, & videntibus admirationem parientia, ea nobis *Enormia monstra* cognominantur, quorum tres tantum differentias videre licuit apud auctores, prioris exemplum est vetustissimum illud *Pythagoræ*, cui femur aureum extitisse credidit antiquitas; * *Diogenes* enim *Laërtius* asserit famam esse nudatum *Pythagoræ* femur aliquando aureum apparuisse: de cujus caussis suo loco [a] latius. [b] *Ælianus* hujus rei assertorem facit *Aristotelem* dicens, *Aristoteles* dicit à *Crotoniatis* *Pythagoram Apollinem Hyperboreum* cognominari, & hæc addit ille *Nicomachides*, quod aliquando eadem die & eadem hora visus sit à multis & in *Metapontio*, & in ludis *Crotone* surgere: ubi *Pythagoras* etiam alterum femur aureum ostendit. Dicit idem ille quod *Nessum fluvium* transiens appellatus sit; & multos ait hanc appellationem audivisse. Alterius exempla recentiora sunt; & primum à [c] *Cardano* adducitur, asseverante *Constantij* tempore in urbe *Daphne* regi-

* lib. 8.
[a] cap. 47. 48. 49.
[b] lib. 2. c. 2.
[c] 15. de variet. c. 77.

regionis *Anthiochiæ* natum infantem barbatum preter alia monstrosa. Secundum proponitur à [d] *Damasceno*, qui testatur visam sibi puellam corpore toto instar Ursi villosam in agri *Pisani* oppido *Petrasancta* genitam. [e] *Realdus* item *Columbus* insignis anatomicus ait se vidisse *Hispanum* quemdam pilis refertissimum in omni corporis parte, præterquam in facie, & manuum parte; ut in prima figura hujus imaginis apparet.

[d] Maiol. dier. canic. collo 3.
[e] lib. 13. c. 2.



Vidisse ait etiam *Vestalem* consimiliter pilosam. *Rubeaquensi*, & *Gualtherio* pariter, *Martino Quarto Pontifice* ex illustri quadam femina natus est puer villosus, & in speciem ursi unguiculis armatus; quo monstrifico partu permoti matronæ necessarij, omnes ursorum imagines, quæ fortè in ejus do-

mo fuerunt; deleri iussere; manifesto argumento receptæ ab ea imaginationis in conceptu. *Suevam* mulierem peperisse infantem ad instar Ursi pilosum testantur duo *Magni Upsalenses Episcopi*, consentiente *Delrio*. Sed & in sacra pagina legimus *f Esau* filium *Isaac* hominem fuisse pilosum; quem ut æmularetur *Iacob* materno impulsu pelliculas hœdorũ circumdedit manibus, & colli nuda porrexit; & à patre tactu putatus est *Esau*. Tertiæ differentiæ monstri *g* enormis duo exempla recentissima proponuntur à *Iacobo Augusto* *g* *Thuano* in hanc sententiam, Anno 1582. res incidit quò magis mira, eò minus fidei apud posteros habitura, nisi certissimis veritatis testimonijs niteretur; quam quia pro comperto habemus, hoc loco, ne in dubium olim revocetur, amplius asseri officij nostri & instituti esse duxi. Mulier quædam *Agendici Senonum*, quæ *Celticæ* nostræ metropolis est Archiepiscopali dignitate ornata, *Columba Charria* nomine *Ludovico Caritati Sartori* nupta, quum ad annum trigesimum octavum valetudine integra pervenisset, neque adhuc uterum gestasset, certissima habuit concepti fœtus indicia, menstruis purgationibus non jam ut antea statis temporibus erumpentibus, & frequenti uteri motu jam manifesto, ac tumore lumborum & abdominis paullatim succrescente, mammisque lacte turgentibus: tandem decurso statæ gestationis curriculo, graveis puerperij labores, & alvi tormina experiri cœpit, urina ad aliquod dies suppressa, quæ postea currente veluti alveo magna vi erupit, profuso illo ichore non tam ex vesicæ meatu, quàm ex muliebribus loculis scaturiente, & tunica disrupta una cum serosis recrementis sanguinis coacti quasi rhombus

f Genes. cap. 27.

g l. 17. hist. par. 4. to. 2. to. 11. lib. 76.

Signa graviditatis certissima.

bus emersit: ex eo mammæ concidere visæ; & motus infantis aut ignavus, aut nullus, ac labores mulieris tolerabiliores fuere; quæ à ludibrio illius fœturæ totum triennium in lecto decubuit, semper de valetudine adversa, de duritie, de tumore, de torminibus alvi, ac de inutili illo pondere, quod per se mobile pro vario gestantis motu, modò in hanc, modò in illam partem procumbebat, quamdiu vixit, conquesta. Quum rideretur à vicinis, ut erat satis lepido ingenio, respondere solita erat, fore ut fœtus, quem utero gestabat, cum parentis exitio aliquando prodiret: Fato post vigesimum octavum gestationis illius annum functæ dissecto abdomine, uterus rugosus apparuit, & versicolor, tactu durus, ac veluti testaceus; sectoque rursus eo vix tandem renitente ad novaculæ aciem, portentosa mole gypsea eductus fœtus benè conformatis membris, ac eodem prorsus quo ceteri positu, de cetero penè lapideus; ita tamen ut ossa capitis quasi cornea interlucerent; partes autem internæ, viscera, cor, cerebrum naturalem habitum servabant; nisi quod ultra modum induruerant, non tamen ut externæ. Hodie adhuc corpusculum illud *Agendici* à prætereuntibus miraculi instar visitur, expers putredinis, & teredinis. De eo scripsere *Joannes Alibosius Augustodonensis*, qui postea *Henrici Quarti Archiatrus fuit*, & *Simo Provencherius Ligonensis*, præstantes Medici, caussas concretionis, & post extinctum fœtum duritiei contractæ: quum potius putrefieri debuisset, ex arte rimati; quas rerum naturalium peritis amplius discutiendas relinquit Historicus. Hujus infantis semilapidei lapidescentis testimonium etiam perhibuere [h] *Laurentius* celebrati nominis anatomicus.

Fœtus lapideus in utero.

h Hist. anat. q 36.

Quer-

Quercetanus [i] Jathrochymicus insignis, [k] *Bonamicus* egregius Philosophus, & novissimè omnium [l] *Riolanus* Medicus eximius. Subjungit autem aliud in hoc genere monstrum *Thuanus* inquiens, tantum addam huic gemellum ferè naturæ miraculum proximus annis *Lutetiæ* in illustrissima femina visum; sed post quinquennium seu medicamentis, seu ferramentis frustillatim eductus fœtus fuit, eumdem procul dubio exitum, si diutius in utero hæsisset, habiturus; quippe qui jam lapidescere incipiebat.

i Diæt. Polyhist. sect.2. c. 4.
k 4. de alt. c. 42.
l disp. de monstr. c. 4.

CAP. XLVI.

Monstra enormia, & omnino monstra non esse infantes candidos ex parentibus Æthiopibus ortos; nec vicissim Æthiopum more nigros ex candidis; & de colore Andromedæ.

Filios albos ex Æthiopibus ortos non esse monstra. Nec Æthiopes ex albis.

AD hoc genus monstri sunt, qui censeant redigendos esse fœtus albos ex genitoribus Æthiopibus ortos, & vicissim nigredinem Æthiopicam habentes ex candidis natos; quam sententiam tueri videtur doctissimus [a] *Paræus*; nam de monstris agens vi parentum imaginationis conformatis, puellæ villosæ à *Damasceno* visæ duo alia hæc attexit exempla inquiens, proditum ab *Heliodoro* legimus *Persinam Æthiopiæ Reginam* ex *Hidaspe* marito pariter Æthiope filiam suscepisse albo colore insignem, quod quum in viri amplexibus, ex quibus gravida evasit, esset, fixis oculis, intentoque animo in oppositam pulchræ *Andromedæ* imaginem se convertisset: & paucis de puella pilosa interpositis subdit, Narrant *Hippocratem* hac caussarum explicatione principem quam-

a Lib.24. cap 7.

quandam mulierem, quæ alba ex marito pariter albo prolem Æthiopis instar nigram ob id susceperat, quod concumbens oculis obversantem Æthiopis imaginem fortiter, & assiduè animo comprehendisset, adulterij suspicione explicuisse. Hæc vir insignis: cui ut consentio sola vi phantasiæ posse parentes albos nigram prolem suscipere, ac vicissim Æthiopes albam; utque damus ex *Platone* [b] hujusmodi originem esse monstrosam, & sobolem veluti monstrum; non tamen dabimus albam filiam, licet ex Æthiopibus ortam, aut nigram ex albis genitoribus, esse monstrum; quia videntes se non rapit in admirationem, nihilque in suo corpore absolutè considerato, ac non in relatione ad parentes, obtinet monstrosi: monstrum enim substantia est, & absolutum quid, ac per se monstrum, non per comparationem ad aliud: Neque verò sola raritas originis eam puellam inter monstra reponet; siquidem multa rarò fiunt, quæ monstra non sunt; nec sola raritas monstrum constituit; ut [c] dudum novimus ex monstri definitione. Deinde verò ut recipimus exemplum *Hippocratis*, ita exemplum *Persinæ*, quæ ex *Hidaspe* marito in Æthiopia candidam filiam peperit solo *Andromedæ* intuitu, non bellè duxit vir eximius in argumentum; siquidem *Heliodori* nomine historia inscripta reipsa mera est Poëtæ fabula: quod unicuique constabit illud opus totum legenti; etsi enim soluta oratione conscriptum sit; methodo tamen poëtica res fingit, non factas narrat *Heliodorus*; unde poëta, non historicus præcepto *Aristoteleo* [d] dicendus est. Nec minus poëta fuit *Achilles* [e] *Statius*, cui *Andromeda* item candida pingitur. [f] *Manilio* etiam ex poëtica libertate *Andromeda*

Monstrum non semper est, cujus origo monstrosa.

Monstra sunt absoluta, non relativa.

Sola raritas monstrum non constituit.

Heliodorus non historicus, sed poëta est.

b In Cratylo.

c c. 9. & 10.

d Poët. c. 7.

e lib. 3.

f lib. 5. astrorum.

———— nivea cervice reclinis
Molliter ipsa suæ custos est sola figuræ.

Multò verisimilius apud Ovidium [g] *Sappho Phaoni* suam nigredinem excusans scribit,

[g] Epist.

Andromeda Æthiops.

Candida non sum, placuit Cepheia Perseo
Andromede patriæ fusca colore suæ.

Unde *Petrarcha* in *Triumpho Amoris* bellè mutuatus lepidissimè concinit,

Perseo era l'uno; e volli saper come
Andromeda gli piacque in Etiopia
Vergine bruna i begli occhi, e le chiome.

Petrarchæ locus difficilis.

Joppe civitates duæ.

Syriaca omnium antiquissima, diluvium præcessit.

Quæ sententia plerisque difficultatem parit, eò quod *Perseus Andromedam Joppe*, in maritima urbe *Palæstinæ*, non in *Æthiopia* scopulo devinctam à Ceto liberaverit: sic testantur [h] *Solinus*, [i] *Pomponius*, *Hieronymus*, [k] *Plinius*, [l] & [m] *Boccatius* Nos apud autores duas eodem nomine *Joppe* civitates maritimas legimus, alteram in Palæstina omnium totius orbis urbium antiquissimam; utpote [n] *Solino*, & [o] *Plinio* ante diluvium universale conditam: cujus olim [p] *Contarenorum* primus comes fuit, in extinctæ conjurationis præmium à vidua Cypri Regina titulo recepto, *Georgius* vir magni animi, ac Reginæ pernecessarius, ejus successoribus natu majoribus in æternum eadem dignitate decorandis: inter quos nunc amplissimum *Senatorem Venetum*, & *Equitem Io. Thomam* virum integritate, ac prudentia summè conspicuum, veneramur: Alteram verò *Joppe* in *Æthiopia*, relatu *P. Ovidij* [q] *Nasonis*, cui

[h] In collectan. [i] 1. Cosmograph. [k] De dist. locor. [l] lib 9. c. 5. [m] 11. de genea deo. cap. 25. [n] in colle. [o] lib. 5. cap. 13. [p] Petr. Justin. hist. Venet.

[q] lib. 9. 1. de art. aman.

Andromeden Perseus nigris portavit ab Indis.

Veteres enim *Æthiopiam Indiæ* nomine appellabant: & utrobique *Andromedam* scriptores alij marinæ

rinæ belluæ dicunt expositam, & à *Perseo* liberatam. Si quidem *Petrarcha Ovidio* consenserit, nihil habet difficultatis ejus assertio; censuit enim *Andromedam* in *Æthiopici maris* oppido saxò alligatam *Perseo* placuisse: sin autem cum *Solino*, & alijs *Andromedam* in *Syria* expositam crediderit: bifariam ejus carmina dubitatione liberantur; primò quidem si vertamus particulam *in* in particulam *di* legentes

Andromeda gli piacque d'Etiopia.

Deinde verò servata littera contextus asserentes poëtam *Æthiopiæ* meminisse, non tanquam loci, ubi *Perseus Andromeden* viderit, amaverit, à Ceto liberaverit; sed tanquam regionis, in qua nigerrima inter omnes accolas *Andromeda* videretur; licet oculos pulchros, non rubentibus venulis fœdatos, & capillos longos, non breviores, ut *Æthiopiæ* feminæ habent, obtineret; qui sensus evidens in codice vulgato, evidentior fiet, si sic interpungatur,

Petrarchæ locus difficilis elucidatur.

Perseo era l'uno; e volli saper come
Andromeda gli piacque, in Etiopia
Vergine bruna i begli occhi, e le chiome.

Ac certè *Andromeda* orta ex *Cepheo*, & *Cassiope Regibus Æthiopiæ* nigra Physiologo censebitur, alioquin enim ex nigris parentibus quavis de caussa candida extitisset; quum id aut privilegium Regum *Æthiopiæ* natis datum esse oporteret (quod nonnullos opinatos memini; qui propterea *Tasso* succensebant, quasi rei hujus ignarus miraculo, aut maternæ imaginationi *Clorindæ* Regibus *Æthiopibus* natæ candorem adscripserit) aut spectro albæ virginis parentis phantasiæ altè defixo contigisse necesse esset: quorum neutrum latuisse *Persinam*, & *Hidaspem* probabile est; atque adeò ab illa candidam

Chariclіam expositam fuisse verisimile non est. Quum autem *Palestina* sit *Æthiopiæ* contermina; in ea facilè potuit *Cepheus* ditionem oppidi habuisse; atque ibi velut in temperatiori loco fervidioribus anni diebus habitasse; vel sacrificia statis temporibus ad aras, quas vetustissimas *Cephei*, & *Phinei* fuisse refert ex [r] *Pomponio* [s] *Boccatius*, peragendi caussa illuc advenire, ac diutulè cum tota Regia permanere consuevisse. Eo loci *Solinus*, & *Pomponius* *Saxum* esse scribit *Andromedæ*, servataque immania belluæ marinæ ossa; quæ inde *Romam* translata *M. Scauro Ædili* memorat [t] *Plinius*. Sed hæc obiter. Sat nobis sit ex Æthiopibus ortam candidam puellam, & vicissim ex candidis parentibus atram, de qua ex *Galeno*, *Avicenna*, & *Magno* [u] *Alberto* *Majolus*, [x] licet monstrosè genitas, ac veluti monstra, verè tamen monstra non extitisse; ac proinde à nobis, qui de monstris propriè dictis agimus, non de quasi monstris, nec de sola generatione monstrosa, inter monstra referri non debuisse. Idem judicium feras de *Leone ex Ove nato*; cujus meminit *Cælius* [y] *Rhodiginus* inquiens, *In Cô insula, rarum dictu apud veterem autorem fidei integræ, & gravitatis non dilutæ legimus monstrifica, & ideo mira præcipuè, ut vix non ficta videantur, & de ingeniorum Græciæ afflatu producta ratione: de grege* Oviario Nicippi *Ovem non ritu naturæ Agnum, sed Leonem peperisse. Prodigiale id, ut erat, visum multis; siquidem* Nicippo *tyrannidem portendit, quam mox is est consecutus; quum edito monstro privatum adhuc ageret.* Ac ut demus ex ove leonem oriri, monstrosum esse partum; leonem natum monstrum esse non dabimus. Sed & apud [z] Ælianum in varia historia legimus hoc


[r] 1. Cosmograph.
[s] 11. geneolog. deo. c. 25.
[t] Lib. 9. cap. 5.
[u] l 22. animal. tr. 1. cap. 3.
[x] colloq 3 3. dier. canicular.
[y] lib. 13. cap. 14.
[z] lib. 1, c. 29.

hoc idem in hæc verba, *Coi dicunt, in pascuis* Nicippi *Tyranni ovem peperisse: peperisse verò non agnum, nec agnam, sed leonem: atque id* Nicippo, *qui tum privatam adhuc vitam agebat, futuram tyrannidem portendisse.* Consimilis est origo monstrosa rei non monstrosæ; de qua in *Annalibus Colmariensibus*, ubi legimus, *MCCLXXVI. In* Turego *lupa domestica peperit duos lupos rufos, duos vel tres albos, & tres catulos maculosos, generum diversorum.* Non alia planè ratione, ut admonet alicubi [a] *Aristoteles*; *fieri potest ut quis licet injustè agat, injustus tamen non sit: nam concumbere cum muliere quis posset non ignarus qua cum rem habeat: non tamen ex electionis principio sed ex affectu id faceret: qui sanè injustè quidem agit: non tamen est injustus: sicut neque fur, licet furatus sit: neque adulter licet adulterium commiserit. simili modo etiam de alijs.* Ex his itaque patet ad aures etiam *Aristotelis* monstrosè fieri posse id, quod reipsa monstrum non est: monstrosamque generationem esse valere viventis minimè monstrosi: verè tamen inter monstra numerabitur tum illa muliercula, à capite usque ad mammas nigra, infra verò usque ad pedes alba; de qua *Philostratus* in vita *Apollonij*; [b] quam visam ceteri veluti portentum extimuere: tum etiam vir ille bicolor, cujus medietas ex æquilibrio summè foret nigra, reliqua portio albedinem præferret eximiam; ad cujus hominis ita coloribus distincti à *Ptolomæo Lagi Ægyptijs* in theatro propositi intuitum, ut ait [c] *Cælius*, partim fusius riserunt, partim ut monstrificum quiddam aversati sunt.

[a] 9. Ethic. cap. 6.

[b] lib. 3. cap. 1.

[c] lib. 7. cap. 18.



CAP. XLVII.

Monstri enormis origo, & caussa prima perhibetur esse in imaginatione parentum; & multa de aureo crure Pythagoræ *considerantur.*

Crus aureum Pythagoræ vel apologus est.

ENorme verò monstrum præsertim, quod in *Pythagora* observavit antiquitas, quem ferunt aliquando nudatum femur aureum habere visum: si modo id inter apologos referendum non est, aut potius allegoricam, quàm naturalem caussam habuisse dicendum non est; significare siquidem volentes prisci sapientes *Pythagoram* in via morum, & sapientiæ

Allegoria explicata.

pientiæ nequicquam errare, sed benè incedere, femur aureum illi scitissimè attribuerunt: namque *Platonem* legimus asserentem [a] *apud* Scythas *eos felicissimos, optimosque viros esse, qui in sui capitis ossibus aurum multum continent: quodque magis est mirum, suis ex capitibus deauratis bibunt: & hæc introspiciunt, verticem, frontemque suam manibus attollentes.* Et [b] alibi ex *Hesiodo* statuentem hominum primum genus aureum dici, non ex auro productum, sed bonum, & pulchrum: conjectura hinc facta, quod idem nos, heu quàm à priscis illis degeneres! ferreum genus esse dicit: aureos verò, & bonos ipse solos sapientes constituit, qualem *Pythagoram* maximè coluit antiquitas: quem propterea non ineptè sanxit aureo crure incedere. Sed si hujus caussam physicam assignare liceat, eam primò afferemus parentum imaginationem: si enim sola phantasiæ vi passim videmus in natorum vultibus, alijsque membris suillæ, vini rubri, nigri, aliarumque rerum imaginem depictam: quid ni matre *Pythagoræ* vel vini flavi aureum colorem referentis, vel aureæ alterius cujusque rei desiderio flagrante, pueri sui femur aureo colore pingere potuit? Eandem sanè caussam habuisse *Damasceno* scribitur puella villosa, quam ex eo quod mater in ipso excepti conceptique seminis articulo in *Divi Joannis* Camelina pelle induti figuram ex lecti oppositis fulcris, seu verius in Ecclesia pendentem, acrius esset intuita; ut apertè testatur ex *Petr. Hip. Sylv.* [c] *Majolus*. Et profectò eadem ratione sola vi vehementioris parentum imaginationis aliquando ex Æthiopibus parentibus fœtus albus enatus est, ac vicissim ex candidis Æthiops.

CAP.

[a] In Euthydemo.

[b] In Cratylo.

[c] Part. 2. cap. 7. dier. canicul. colloq. 3.

Scythæ cur bibant ex calvariis deauratis.

Primi homines cur aurei dicti.

Aurei femoris caussa prima naturalis ut sit parentum imaginatio.

CAP. XLVIII.

Secunda monſtri enormis aureo femore cauſſa, & origo reponitur in exhalationem igneam de corpore viventis effluentem.

ALia verò inſuper aurei femoris *Pythagoræ*, atque adeò monſtri enormis origo, & cauſſa naturalis conſtitui poteſt exhalatio ignea, & craſſa ex eo membro quum nudaretur confricato emergens, ipſumque ambiens in auri ſpeciem; qualis eſt inter meteora Phyſicis relatus ignis ille fatuus non urens, qui aliquando ambulantes homines inſequitur: & ſanè proſilire quandoque ignes hujuſmodi ex animantium corporibus non ſemel obſervatum eſt: Cælius etenim *Rhodiginus* [a] *in ſuis antiquis lectionibus, Tiberij* equum notat ejus extitiſſe naturæ ut ore flammigare videretur. *Ioachinus* etiam [b] *Fortius Ringelbergius* confirmat ſæpenumero per nigri equi collum ſe manum ſurſum, ac deorſum in tenebris duxiſſe, & undique ignium ſcintillas erumpere conſpexiſſe. *Theodorici* pater ex toto corpore quoque ſcintillas dicitur profudiſſe. [c] *Apulejus*, & [d] *Valerius Maximus* teſtantur *Servio Tullio* etiam tum puerulo dormienti flammam circa verticem emicuiſſe. Quin & ex *Lucij Marij* Ducis duorum exercituum capite concionantis flamma eluxit. [e] *Cardani* etiam relatu quidam *monachus Carmelita* id per annos tredecim perpetuos paſſus eſt, ut quoties capitium reducebat ad occiput, ſcintillæ ignis è capillis erumperent: atque ea de cauſſa ad convivia frequenter vocaretur. [f] *Virgilius* etiam id *Aſconio* contigiſſe, & *Laviniæ* memorat; *Aſcanio* quidem,

Ignes ex humano corpore mirè proſilientes.

a Lib. 5. cap. 5.

b Lib. experiment.

c Lib. de Deo Socrat.

d lib. 1. cap. 6.

e 8 de rer. var. c 43.

f 2 Æneid ver. 680.

Cum

Cum subitum, dictuque oritur mirabile monstrum;
Namque manus inter mœstorumque ora parentum,
Ecce levis summo de vertice visus Iüli
Fundere lumen apex, tactuque innoxia molli
Lambere flamma comas, & circum tempora pasci.
Nos pavidi trepidare metu, crinemque flagrantem
Excutere, & sanctos restinguere fontibus ignes.

g 7. Æneid. ỳs. 71. Laviniæ verò, dum g posterius concinit,

Præterea castis adolet dum altaria tædis,
Et juxta genitorem astat Lavinia virgo,
Visa (nefas) longis comprendere crinibus ignem,
Atque omnem ornatum flamma crepitante cremari;
Regalesque accensa comas, accensa coronam
Insignem gemmis; tum fumida lumine fulvo
Involvi, ac totis Vulcanum spargere tectis.
Id verò horrendum, ac visu mirabile ferri.

h 3. cel. t. com. 31. *Alexandrinus Medicus* h *Philalthei* testimonio asseverat à vertebra coxæ in laborante coxendice ignem exiluisse, oculosque inspicientis combussisse. At verò ego pluries audivi à *Josepho* patre, se, dum juvenis in *Insula Corsicæ* Medicinam faceret; *Francisco Guido* Iurisperito, artificiosæ memoriæ monstro memorabili, nullique hominum comparabili, familiariter usum; quem sæpenumero, dum nudus in lecto recumberet, casu brachia frictione manuum lævigantem, flammas evidentius excutere consuevisse, quàm si aridæ truncum hederæ virentis lauri baculo vehementissimo, concitatissimoque nisu attrivisset. Quinimmo dum *Pisis* agerem publicus Philosophus superioribus annis ab *Antonio Cianfio* Bibliopola *Pisano* audivi se bis, dum subuculam nuncupatam exueret arctiorem, flammas è dorso, & brachijs cum crepitu efflasse, ita ut universa fa-

milia præsens miraretur. Hoc idem frequentissimo in more positum fuisse *Maximo Aquilano* medico insigni *Petrus Lupius* inter *Pisani Gymnasij* Professores non indoctus ejus nepos amplissimo testimonio mihi retulit. Sic ergo Pythagoræ contigisse potuit ut dum nudaretur, frictione femoris confertim ex apertis poris flammulenta exhalatio prodiens aureo colore membrum illud inficere videretur.

Secunda caussa physica cruris aurei Pythagoræ

CAP. XLIX.

Tertia monstri enormis aureo femore caussa, & origo resolvitur in morbum regium.

POtuit etiam Pythagoræ femur aureum astantibus apparuisse, quia in eam partem quavis de caussa flavæ bilis portio decubuerit, icteritiam, morbumque regium particularem in eo membro procreans; novimus etenim arquato illo morbo affectos aureo colore mirificè cute tenus infectos esse; ac citra ullam erysipelatis præsentiam solummodo tingi: Quod autem ceteris passim toto corpore ab obstructione fellei meatus flavus, aureusque color innascitur, quid ni *Pythagoræ* soli femori contingere potuit? aureas verò illas glandes [a] *Plutarchi* testimonio è palma defluxas, putaverim esse fructus palmæ ob nimiam maturitatem flavescentes in lapidosam substantiam commutatos; fungos enim, & stirpium frondes, fructus, & stipites nonnumquam lapidescere, notum est viris mirabilium naturæ studiosis; flavos autem palmarum fructus lapidescentes in substantiam aureæ consimilem permutari neminem latere censeo.

[a] Opusc. de Pyth. orac.

Aureæ glandes ut è palma physicè defluxerint.

CAP.

CAP. L.

Quarta monstri enormiter pilosi caussa, & origo ex crassitie, & fuliginum copia extruditur; ubi plura de corde piloso.

AT verò monstri ob corporis villosi, aut barbæ precocis enormitatem origo, & caussa alia ex conditione materiæ deduci poterit; quum enim videamus infantes mollissimis pilis cute tenus enasci; sed evidentissimè in capite, superciliis, & palpebris; quod observat etiam [a] *Aristoteles*; ubi materia illa fuliginosa in materno sanguine plurimum abundaverit, ex quo fœtui corpus constituitur; rationi consonum est multò pluribus, & crassioribus longioribusque consueto more totum corpusculum infantis enascentis pilis convestiri: si enim homo intrinsecus monstrum enorme fieri potuit piloso corde; quum in eo viscere nullus à natura pilus enasci consueverit; profectò quum monstrosa enormitate ob solam exuperantiam excrementosæ fuliginis in humano corde pili multi aliquandò generari potuerint; quid ni ab eadem caussa fœtus humanus, cujus cuti naturaliter pili, etsi ob tenuitatem, ac brevitatem cæcutientibus insensibiles, enascuntur; toto corpore piloso, vel etiam vultu barbato, evidentibus ob crassitiem, longitudinem, ac multitudinem velleribus, exoriri poterit? pilorum enim abundantiam, & hirsutiem provenire ab excrementorum copia, quam, ut effectus caussam suam indicat, monet [b] *Aristoteles:* Sed plerosque homines corde piloso extitisse, vel [c] *Bonamici* observatione monent cla-

[a] 3. histor. cap. 1.

[b] de gen. an. c. 6.

[c] 4. de alim. cap. 43.

Infantis pilosi origo.

Homines corde pilosi qui.

clarissimi scriptores; *Cælio* [c] enim *Rhodigino* scribunt autores *Græci Hermogenem*, cujus de Rhetorica libri extant, cor habuisse hirsutie, ac magnitudine extra mortalium reliquorum rationem insigne. Id ipsum ferè de *Leonida* in *Parallelis* asserit *Plutarchus* [d] ex *Aristidis primo Persicarum rerum*; nempe quum *Persæ* in *Græciam* adduxissent innumerabilem hominum exercitum, missus est *Leonidas* à *Spartanis* cum trecentis militibus: is, ingruente prandentibus barbarorum multitudine, iis conspectis, dixit ad suos; sic prandete ut cœnaturi apud inferos; factoque in barbaros impetu, multis confixus hastis in ipsum *Xerxem* contendit, eique diadema avellit: mortui cor barbarus secans, hirsutum reperit. [e] *Plinius* item *Aristomenem Messenium*, qui tercentum occidit *Lacedæmonios*, memorat convulneratum, & captum semel per cavernam *Latomiarum* evasisse, angustos vulpium aditus secutum; iterum captum, sopitis custodibus somno ad ignes advolutum lora cum corpore exussisse: tertiò capto *Lacedæmonios* pectus dissecuisse, hirsutumque cor repertum fuisse. Si ergo enascuntur homines hirsuto corde ex fuliginoso excremento non purgato, & lentore nimio cordi adhærente; quid ni fieri possit infans in utero pilosus, atque etiam barbatus, fuliginum copia vel per universum corpus dispersa, vel ad faciem delata?

Leonidæ fortitudo.

Aristomenis fortitudo.

c Lib. 1. cap. 16.

d Paral. 4.

e Lib. 11. cap. 37.

CAP:

CAP. L.

Quinta monstri enormiter pilosi origo, & caussa ex parente pariter piloso petenda est.

EX pilosis parentibus vel utrisque, vel uno filios hirsutos exoriri probabile satis est; quum semper natura studeat effectus suis caussis consimiles procreare; quam veritatem mirificè comprobat pilosus infans ex muliere glabra ab urso compressa editus; cujus historiam ex *Delrio*; *Saxone Grammatico*, *Joanne*, & *Olao Magno*, utroque *Upsalensi Episcopo*, licet alibi tactam, hic brevibus repetere necessarium duximus: nempe in *Suecia* puellam eximiæ pulchritudinis, ancillis comitatam, quum extra oppidum ad recreandum animum exivisset, ab urso miræ magnitudinis ancillis consternatis, amplexam, raptamque, & molliter unguibus receptam, ad specum in nemore abditum delatam fuisse; atque in summo timore ab urso amante ad concubitum expetitam, bruto commistam, à quo carnibus crudis quotidie venatu captis enutriebatur, utero gestasse, ac partu edidisse monstrum pilosum membris humanis; quem infantem, à venatoribus interfecto urso, ad patriam delatum patris nomine ursum appellavit: ille autem parentis necem inultam non passus est; adolescens enim venatores illos interemit: Postea verò ex accepta uxore filium genuit nomine *Tregelum Sprachaleg*, à quo *Ulso* genitus est *Suenonis Danorum Regis pater*. Ita ergo satis constat ex piloso parente hirsutum filium posse procreari.

Puella ab urso compressa pilosum infantem peperit.

CAP.

CAP LII.

Sexta monstri enormiter lapidescentis origo, & caussa ex intemperie, ac materiæ ineptitudine deducitur.

Monstrum autem illud fœtus in utero materno enormiter lapidescentis aliam profectò nullam caussam habere potuit, quàm eam ex qua in humano corpore lapides procreantur, sive in renibus sive in vesica, sive in jecore, sive in alio viscere; hujusmodi verò caussa gemina est nempe materia crassa, densa, terrenarumque partium uberatate affluens, & calor seu etiam frigiditas excedens; calor enim resolvens tenuiores partes in halitus, crassiores in tophaceam substantiam indurat; sic plerisque à renum calore nimio creantur lapides; ut ex terræ luto ab igne in fornace lateres: frigus etiam nimium exprimens partes tenuiores, crassas item cogit in lapidiosam duritiem; sic novi *Genuæ* bis è genibus eductam tophaceam substantiam *Catherinæ* cuidam vetulæ, cujus historiam in Doctissimo suo * *De Consultatione Medica* libro attexuit solertissimus, idemque, dum viveret, mihi observatissimus *Bartholomæus Turrianus* in hanc sententiam, *Hoc anno MDC.* Catherina *nostra ætatis suæ nonagesimo, abscessus in utroque genu habet; quorum alter à* Dominico Licella *Chirurgo nostro legitima occasione sectus, pro humore materiam non solum gypseam, sed ferè lapideam in frustula divisam, marmoris rupti fragmenta referentem, protulit: quæ materia adeò tenaciter adhærebat, ut ope volsellæ fuerit paullatim sejungenda.*

Pueri lapidescentis origo.

Calor excedens ut lapides in corpore creet.

Frigore ut lapides fiant in humano corpore.

* Lib. 4. c. 6. in fi.

jungenda in qua sanè vetula, & in qua parte corporis non nisi ab intemperie impensè frigida in crassam, & viscidam materiam agente, hujusmodi lapidea substantia generari potuit. Sic planè semilapidei pueIli, quorum superius historias attexuimus, non aliunde ortum habuere, quàm ex materia seu seminaria, seu menstruali, seu ut etiam utraque nimium viscida, & crassa, terrenæque substantiæ participe; in quam vel impensè calida uteri intemperies agens, ejus partes subtiliores dissipaverit in halitus, crassiores verò adusserit in tophum; vel frigidior sive uteri eiusdem constitutio, sive aëris eò quomodocumque ingressi consimiliter operans, partes tenuiores expresserit, & crassiores induruerit in lapideam consistentiam. Quod enim à disertissimo [b] *Bonamico* affertur eorum fœtuum ita dispositam fuisse materiam ut mortua femina concresceret, & exiens ex utero lapidesceret, historiæ non respondet; nam alter *Thuani* fœtus è matre viva lapidescens eductus est ope chirurgica, qui durus in utero sentiebatur: alter verò *Alibosij* non modò lapideus ipse fuit per vigenti & octo annos à conceptu in utero manens durus, & gravis; verùm etiam uterus testaceus compertus est: indicium non ab aëre solo, sed ab intemperie uteri frigida saxeam duritiem fœtui communicatam fuisse. Novimus plerasque materias intra viscera terræ molliorem substantiam nactas, quæ securi facilè secantur, aëri expositas protinus in durissimos lapides commutari: concedimus item viro subtili pituitam gypseam ex capite in dentem extrinsecus illapsam, tacto aëre, statim dentis duritiem accepisse; at confiteri non possumus ita repentè à solo aëre infantes illos monstrosos lapidosam duritiem.

[b] 4. de ali. c. 42. in fin.

Bonamicus notatus.

ritiem contraxisse; quando experimento constat eos illam nondum aëre tacto intra uterum habuisse. Ceterùm humana corpora ob solam ambientis aëris intemperiem lapidescere autor est ab experimento doctus *c Aristoteles*; *Ad* Lydiæ *metalla* inquit *apud* Pergamum *existentia*, *quæ antea* Crœsus *confecerat*, *bello quodam exorto*, *opifices confugisse ferunt*, *qui obstructo illius loci ostio suffocati sunt*; *posteaque longo temporis intervallo metallis adopertis*, *vasa*, *quibus pro manus abluendi opportunitate utebantur*, *in lapides conversa inventa fuisse*; *& amphoræ*, *& vasa reliqua hujusmodi*, *quocumque liquore plena fuerant*, *unà cum hominum cadaveribus præterea in lapides conversa vulgò produntur.*

c de admirand c 50.

CAP. LIII.

Monstri multiformis in eadem specie subsistentia patefit; *ubi de capite virili mulieris corpori affixo*; *& de hermaphroditis mira quædam explanantur.*

SUnt nihlominus in monstrorum genere viventia illa reponenda, quæ membris constant diversæ naturæ cum deformitate raró contingentia; quæ propterea multiformia nuncupantur. In hoc autem cœtu ea primùm sese nobis offerunt, quæ membra obtinent in eadem specie diversum sexum referentia; quæ monstra duas habent differentias; in prima quidem specie mulieres ponendæ sunt barbato capite; superiori enim ætate hujusmodi tulit, & aluit *Germania* monstrum, caput habens à femineo distantissimum, virile prorsum, capillis crassis brevibus, & nigris; barba spissa, crassa, nigra, promissa; facie

torosa, uno verbo, tota & summè masculea; sed reliquo corpore femineo, molli scilicet, glabro, candido, mammis in pectore turgentibus, abdomine coxisque; magnitudine femineis; nullo membri, sexusve masculei vestigio; pudendo uno femineo. Talem fuisse *Venerem*, cuius simulachrum barbatum apud *Cyprios* memorat * *Macrobius*. In altera specie monstrorum plerique viri clarissimi reponunt omnes hermaphroditos. Nos non audemus omnes hermaphroditos inter monstra collocare, tum ob eorum frequentiam, tum quia plerique nullum præseferunt naturæ peccatum; in quo monstri naturam supra [a] consistere vidimus. Et certè si utriusque seminis, paterni scilicet, ac materni vis ita vigeat, ut in organizatione conceptus utrumque suum sexum integrè constituat; quomodo natura generans peccare dicenda est, si sibi simile utraque perfectè procreat? certè omnes uno jam concinunt ore Philosophi, generare sibi simile esse perfectissimum opus naturæ; [b] *Aristotelesque* vim generandi sobolem sibi consimilem solis perfectis animantibus concessit: Quare inter monstra non refero cunctos hermaphroditos, assentiente *Plinio*, [c] qui eos in prodigijs habitos, sua verò tempestate in delicijs haberi monuit: speciatimque illos androgynos monstra esse non dixero, quos in *Africa* ex *Aristotele* admonet esse *Plinius* [d] dextra mamma virili, sinistra muliebri, vicibus inter se coëuntes. Et quæso quæ deformitas est in corpore habente utrumque sexum, eumque completum, & naturali sede? Quam notam imperfectionis, quodve peccatum admisit natura, aut qua ratione impedita fuit, dum procrearet hermaphroditum illum, qui testimonio [e] *Montui* viro nupserat

* 3. Sat. cap. 8.

Hermaphroditos omnes monstra non esse.

[a] cap. 5. & seq.

[b] 2 de an. t. 34.

[c] Lib. 7. c. 3.

[d] Lib. 7. c. 2. in fin.

[e] 1. Theor. med. c. 6.

rat, ex eoque filios, & filias susceperat; & suas ancillulas comprimere, ac in illis generare solebat? peccavit non certè natura, dum alteram androgynam constituit, quæ anno Domini MDLXI. in *Scotia* herili filiæ uterum implevit: Peccavit certè androgyna tum prior, illicita sibi ancillarum venere utens: tum hæc posterior suæ custodiæ commissam heram constuprare ausa. Sed androgynos illos monstra existimo, quibus neuter sexus ob exilitatem perfectus est: aut quibus alter longè à naturali suo loco transpositus est: prioris generis illud monstrum fuit, de quo historiam texuit *Columbus* [f] illustris [f] Lib. 1. anatomicus inquiens, femina erat Æthiopica, earum quas *Cingaras* vocant *Longobardi:* hæc neque agere, neque pati commodè poterat: nam uterque sexus imperfectus illi contigerat suo magno malo: penis namque minimi digiti longitudinem, crassitudinemque non excedebat: vulvæ autem foramen adeò angustum erat, ut minimi digiti apicem vix intromitteret: optabat miserà ut hunc illi penem ferro evellerem: quippe quem sibi impedimento esse diceret, dum cum viro coire exoptabat: optabat enim ut vulvæ foramen illi amplificarem; ut viro ferendo idonea esset: ego verò, qui horum vasorum discrimen intueri sæpius cupiebam, verbis detinui. Hæc ille. Duo autem alia, quæ refert androgynorum exempla, mihi ob rationes allatas propriè monstra non sunt. Sed posterioris generis monstrum androgynum illud est, quod habet uteri foramen in podice: quemadmodum enim [g] supra vidimus, *Nursiæ* natum fuisse puerum, cui podex nullus erat in postica parte: sed apertus visebatur in anteriori corporis regione: Et quemadmodum ex [h] *Aristotele* acce-

Androgynum monstrum quale sit.

[g] Lib. 1. c. 3.
[h] 4. de gen an. c. 4. in fin.

accepimus tum jecur in finiſtris, & lienem in dextris viſum eſſe locis permutatis: tum pueris quibuſdam genitalis poſtremum, & meatum qua excrementum veſicæ tranſit, non eodem tetendiſſe: aſt infra meatum illum tranſegiſſe; ac propterea illos demiſſis clunibus mingere, qui teſtibus paulò in ſuperiorem partem retractis, videntur longè diſtans ſimul & maris habere genitale, & feminæ: tum vaccam fuiſſe *Perinthi*, cui cibi excrementum extenuatum per veſicam tranſmittebatur: diſſectuſque anus properè coaleſcebat, nec reſecando evincere vitium poterant, ſcilicet recto inteſtino finiente à prima conſtitutione vaccini fœtus cum collo veſicæ in oſtium matricis: Quin ut noviſſimè retulit mihi *Iacobus Zabarella*, Simplicium Lector in patrio Lyceo clariſſimus, famulam habuit ipſe, quæ carebat ani foramine, ac nullum toto ſuæ vitæ tempore alvi excrementum emiſit; ſed urinas mingebat craſſas ac turbulentas in magna copia; idque poſt mortem ejus mulierculæ, quæ ad ſenectutem vixit incolumis, audiſſe ſe teſtatur à propria matre, inſigni matrona, & lectiſſima femina; ut inquam ancilla hæc ſine podice alvi excrementa per urinam excernebat; quid ni fieri poſſit hermaphroditus, cujus ſexus muliebris foramen habeat vel in podice, vel illi copulatum? hujuſmodi certè fuiſſe duos illos oportuit, quorum hiſtorias texuit *Phlegon Trallianus* inquiens; [i] *Dorotheus Medicus in commentarios ſuos retulit* Alexandriæ *in* Ægypto Cinædum *peperiſſe: fœtumque conditum miraculi cauſſa aſſervari. In* Germania *quoque in exercitu Romano, quem* T. Curtilius Mancias *duxit, ſervus militis peperit:* Athenis Conone *præſide*, Romæ Q. voluſio Saturnino, & P. Cornelio Scipione *Coſſ.* ſcilicet hi parere & antea

[i] Lib. de mir. & longæ.

Cinædus qui parere potuerit.

Servus militis ut parere potuerit.

antea concipere potuerunt, qui hermaphroditi erant monstrosè uteri meatum occultum in podice, vel potius cum podice conjunctum obtinentes ab ortu: Ab his parum sanè abfuit hermaphroditus ille, qui *Columbi* Anatomici relatu foramen habebat vulvæ consimile, sed non penetrans, inter anum, & testes, ubi sectio fieri consuevit ad educendum vesicæ lapidem. Sunt itaque monstra multiplicia in eadem specie diversæ naturæ partes obtinentia.

CAP. LIV.

Monstri multiformis in eadem specie, mulieris nempe virile caput habentis origo, & caussa prima ex heterogenea seminis natura educitur; & de feminis vulgo in masculos mutatis. & de masculis effeminatis.

MUltiforme illud monstrum, quod in eadem specie sub virili, & mirè barbato capite glabrum, molle, ac planè femineum corpus gestabat, cum mammis, sexu, & alijs partibus muliebribus, nullaque alia sub capite masculea; maximè oriri potuit eò quia virile semen, quod capiti constituendo, & efformando ex paterno capite materiam hausit, pollens viribus paterno capiti simillimum probè suo munere functum in conceptu genuerit; at verò paterni seminis portio è corpore reliquo materiam adepta, & alijs infra collum partibus efformandis destinata, vires languidiores obtinuerit (seu inopia, seu temperamenti discrasia) quàm ut potuerit masculeum bustum constituere: atque adeò femineum truncum virili capiti attexuerit in monstrum, in quo

Cer-

Cervicem capiti voluit natura virili
Jungere femineam, geminasque inducere formas;
quia non potuerit masculum integrum, ac inceptum perficere. Sed neque jurarem hoc monstrum esse intrinsecus androgynum: cujusmodi puellæ, ac nuptæ illæ fuere plures, quæ virili membro emisso in masculos vulgo commutatæ [a] dicuntur: de quibus celeberrimi scriptores luculentissimum testimonium perhibent: siquidem *Plinius* [b] alicubi scribit. *Ex feminis mutari in mares, non est fabulosum. Invenimus in Annalibus* P. Licinio Crasso, C. Cassio Longino Coss. Cassini *puerum factum ex Virgine sub parentibus, jussuque Aruspicum deportatum in insulam desertam.* Licinius Mutianus *prodidit, visum à se* Argis Arescontem, *cui nomen* Arescusæ *fuisset, nupsisse etiam, mox barbam, & virilitatem provenisse, uxoremque duxisse. Ejusdem sortis &* Smyrnæ *puerum à se visum. Ipse in* Africa *vidi mutatum in marem nuptiarum die* L. Cossitium Civem Tisdritanum. *Plinianum* hoc testimonium comprobat *Agellius* in *Noctibus Atticis* inquiens. [c] *Libitum tamen est in loco hoc miraculorum notare id etiam, quod* Plinius Secundus, *vir in temporibus ætatis suæ, ingenij, dignitatisque gratia, auctoritate magna præditus, non audisse, neque legisse, sed scire sese, atque vidisse, in* libro Naturalis historiæ VII. *scripsit. Verba igitur hæc, quæ infra posui, ipsius sunt ex eo libro sumpta; quæ profectò faciunt, ut neque respuenda, neque ridenda sit notissima illa veterum poëtarum de* Cæneida *&* Cæneo *cantilena.* refertque statim verba *Plinij* nuper allata, sed posteriora parum immutata sic, *Ejusdem sortis &* Smyrnæ *puerum à se visum. Ipse in* Africa *vidi mutatum in marem die nuptiarum* L. Cossitium

Mulieres ut in viros mutari queant.

[a] Pli. l. 7. c. 4.

[b] Lib. 7. c. 4.

[c] Lib. 9. cap. 4. in f.

 sitium

ſitium *civem* Tiſdritanum: *vivebatque quum proderem hæc.* Hunc locum *Plinij* confirmat in ſuis Annotationibus *Dalechampius* ita, Pontano Cajetana *muliercula piſcatoris per annos XIV. uxor, repentè vir facta eſt. Idem contigit* Æmiliæ *conjugi* Antonij Spenſæ, *civis* Ebulani *anno XII. poſtquam nupſerat: ſexu mutato ea duxit uxorem, & liberos ſuſtulit. Idem & alteri mulierculæ accidit, quum jam ſemel peperiſſet, temporibus* Ferdinandi *primi* Neapolitanorum Regis. *Baptiſta Fulgoſius* [c] olim *Genuenſium Dux* inclytus, *Valerij Maximi* clarus æmulator, agens de rebus mirabilibus, infit. *Miranda quoque res ætate noſtra contigit* Neapoli, *regnante* Ferdinando primo: *nam quum* Ludovicus Guarna Salernitanus *civis quinque filias ſuſcepiſſet; quarum natu majoribus duabus, alteri* Franciſcæ, Carolæ *alteri erat nomen: poſteaquam ad quintumdecimum annum pervenerunt, ambabus genitalia membra in marium morem erupere: mutatoque habitu pro maribus habiti ſunt*, Franciſcus; *&* Carolus *nuncupati. Item* Ebuli *ſub eodem Rege puellæ, quæ jam quatuor annos viro tradita, cum eo cubuit, ſive ex confricatione, ſive ob aliam cauſſam, quæ ignota ſit, effractis membranis, quæ ut mulier videretur, efficiebant, virilia membra prodierunt; domumque reverſa in judicio dotem repetivit; virorum numero poſtea habita.* Albertus Magnus etiam huic rei fidem facere videtur inquiens, [d] *In quodam etiam noſtri temporis nato teſticuli intra pellem contenti erant ſuperius, ita quod prominentia eorum repræſentabat duo labra vulvæ muliebris; & fiſſura videbatur eſſe in medio clauſa per pellem; & quum putaretur eſſe puella à parentibus, & deberet eſſe fiſſura ut habilitaretur ad coitum, inciſione facta, proſilierunt teſticuli, & virga;*

&

[c] Lib. 1.

[d] 18. de animal. tr. 2. cap. 3.

& postea duxit uxorem, & genuit ex ea plures filios. Sed hæc non est mutatio sexus feminei in masculeum, qua de agimus; at masculei latentis explicatio. *Volaterranus* in *Philologia* [e] scribit his consentientia. *Nos* Romæ *vidimus* Alexandri *temporibus infantes geminos simul conjunctos, adversis inter se vultibus ac manibus in eodem corpore; qui tamen parum vixerunt: Nec longè post duo successere prodigia, quæ fidem omnem excedunt. Duarum virginum altera ex canis concubitu semicanem peperit: altera nuptiarum die, subito erupto genitali vir marito apparuit. Uterque igitur casus ad eundem Pontificem expiationis gratia meo fratre* Mario *conciliante relatus, & Minotaurum quondam monstrum, &* Plinij *verba credibilia fecere*, L. Cossitium *in* Africa *factum ex femina marem in simili die se vidisse testantis.*

[e] l. 24. cap. de Vesica inf.

In Bibliotheca *etiam* Angelica *plures habentur*
,, *Scriptores de mutatione puellarum in masculos, jux-*
,, *ta historiæ naturalis veritatem comprobata, & de*
,, *androgynis, vel hermaphroditis; quorum omnium*
,, *multa recitantur exempla : viget autem nunc ex-*
,, *emplum* Romæ *ad* Turrim Sanguineam, *ita vulgò*
,, *vocitatam, de* Aromatarij filio, *qui ex femina circi-*
,, *ter menstruorum eruptionem anno ætatis XIII. fa-*
,, *ctus est masculus; quum genitalia, quæ in feminis, ut*
,, *ajunt Medici, & Anatomistæ, intus manere solent,*
,, *ordine inverso, exierint, hic in baptismate* Anna
,, *sub nomine femineo nuncupatus, atque ad XIII.*
,, *ætatis usque annum, femineum retinuit vestitum,*
,, *nunc verò masculo vestitu indutus, idem retinet no-*
,, *men, imberbis tamen, ac mirum in modum corpulen-*
,, *tus, & obesus, tertium ac vigesimum annum agens.*
Hunc se vidisse nuper mihi testatus est eruditus.

L. Pi-

L. Pignorius dum *Romæ* esset annis non ita multis. Ac novissimè legere potui ex *Annalibus Colmariensibus* M CCCXI. mulierem propè *Bernam* in villa decem annis viro cohabitasse; & quum à viro cognosci non posset, judicio spirituali à conjuge separatam fuisse: quæ, *Romam* proficiscens anno Jubilæi, *Bononiæ* à Chirurgo scinditur in vulva; è quo vulnere virga virilis cum testiculis egreditur: domum revertitur; uxorem ducit; opera rustica facit; cum uxore congreditur legitimè ac sufficienter. Ceterum in proposito vulgari plurium Medicorum sententiæ non subscribo de caussâ mirabilis huius mutationis nuper tacta; non enim vulgo assentiri possum asserenti collum uteri foras in virgam prosilire, & testes abditos exeri: tum quia collum uteri nullam cum pene habet magnitudinis, aut figuræ proportionem: tum quia collum vesicæ propè vulvam in uteri collo implantatum, non longè à præputio novi masculi conspiceretur: tum quia testes nullo scroto integerentur; quum extra uterum sint, in corpore femineo, quod oculata fide nos docuit anatomes. Quare dicendum, androgynos abditum sexum masculeum per uteri foramen exerentes illo occluso ex feminis in viros vulgo commutari: at nobis occultum sexum exerere, & pristini foramen novo implentes fermè obliterare. Nec alia ratione masculus vicissim femineam naturam induere potuit, quàm quod hermaphroditus occultum feminæ sexum exeruerit, aperto imo ventre: cujus historiam non unicam attulit *Ausonius.* [c]

[c] Epig. 68.

„ Vallebanæ *res nota, & vix credenda poëtis;*
„ *Sed quæ de vera promitur historia.*

„ *Fe-*

„ *Femineam in speciem convertit masculus ales.*
„ *Pavaque de pavo constitit ante oculos.*
„ *Cuncti admirantur monstrum; sed mollior agna*
„ *Astitit in tenerum de grege versa marem.*
„ *Quid stolidi ad speciem notæ novitatis habetis?*
„ *An vos* Nasonis *carmina non legitis?*
„ Cænea *convertit proles* Saturnia Consus,
„ *Ambiguoque fuit corpore* Tiresias:
„ *Vidit semivirum fons* Salmacis *Hermaphroditum*
„ *Vidit nubentum* Plinius *Androgynum.*
„ *Nec satis antiquum quod* Campana *in* Benevento.
„ *Unus Ephebororum virgo repentè fuit.*
„ *Nolo tamen veteris documenta arcessere famæ.*
„ *Ecce ego sum factus femina de puero,*

CAP LV.

Secunda caussa ejusdem monstri multiformis, & origo excutitur ex defectu seminis masculei.

IDem verò monstrum in eadem specie multiforme fieri quoque potuit ob defectum paterni seminis quoad illam partem, quæ à membris masculeis infra caput existentibus materiam, primamque sui originem sumere consuevit; & ejusdem conditionis, ac naturæ membra in fœtu efformare; quippe semen à solo patris capite materiam, ortumque deducens viribus integris masculeo capiti efformando in conceptu sufficere potuit; sed aliarum partium constitutionem, conformationemve feminei seminis parti spirituosæ relinquens, licet eam in operando gubernet, vel necessariò ei quomodocumque agenti cooperetur, ad masculearum tamen partium procreationem

attollere non potest; unde monstrum enascitur, in quo construendo natura masculeo capiti bustum muliebre conjunxit, ac tumidas induxit mammas, cunctis emollitis membris inferioribus; ut propterea desierit in feminam masculus barbatus supernè: Consimili planè ratione haud rarò factus fuit opposito modo infans, solo sexu masculus, in corpore molli, ac planè femineo; quia semen masculeum è paternis genitalibus primordialem materiam habens, ijsque formandis in fœtu destinatum, viribus pollens, conceptui sexum masculeum indidit; cui reliquum femineum corpus attexuit, ob imbecillitatem, ac penuriam reliquarum partium feminis, quæ à residuo corpore patris primogeniam naturam obtinuere; in quam originem lepidissimè Poëta lusit inquiens,

Dum dubitat Natura marem, faceret ne puellam,
Factus es ô pulcher penè puella puer.

C A P. LVI.

Tertia monstri multiformis in eadem specie origo, & caussa refertur ad parentum imaginationem.

VEhemens quoque parentum imaginatio multiplici huic in eadem specie monstro caussam originis exhibere potest, spectro nimirum monstroso eiusdem speciei phantasiæ parentum altè impacto, & inde spiritibus impresso, quicumque in semine fœtum organizaturo comperiuntur; atque animæ seminis, virtutique formatrici communicato; siquidem talis imago facilè corpusculo fœtus imprimi poterit, ac monstrum multiforme in humana specie con-

constituere: si enim parentum phantasia potest in humano conceptu fructuum, brutorum animantium, vini, & aliorum inanimatorum imagines procreare, quæ tantoperè diffident ab humana substantia; quid ni parentum imaginatio monstrosæ figuræ formam in eadem specie multiplicem, masculeo capiti femineum corpus subjiciens, efformare poterit?

CAP LVII.

Quarta origo, & caussa monstri uniformis in eadem specie ad parentis consimilem naturam attinet.

SI quis autem parentum monstrosam figuram habuerit in eadem specie multiplicem, næ consimile sibi monstrum, si sobolem suscipiat, generare valebit; adeò satagit omnium quarumcumque rerum natura consimilem sibi effectum procreare: ac certè si *Germanicum illud monstrum* quispiam maritus subactum implevisset, nullo negocio monstrum eiusdem naturæ filium suscepisset; haud quidem necessariò; quia si paternum semen validum fuisset, viribusque maternum superasset; masculus perfectus inde genitus videretur; at monstrosæ matris semine masculeo semini prævalente, inde nil nisi monstrum pariter in eadem specie multiforme oriri valeret. Ita ergo pluribus de caussis exoriuntur monstra in eadem specie multiformia. Reliquum est modò ut ad multiformia monstra, diversas animalium species referentia, deveniamus, ante omnia illorum realem existentiam ex historicis haurientes.

CAP. LVIII.


Monstra multiformia, diversas animalium species in eodem genere proximo referentia, non esse figmenta, sed in rerum natura reperiri.

MUltò sanè plura leguntur apud auctores monstra in humanorum serie constituta ex partibus mirificè referentibus dissimilia, variaque, nimirum membra viventium diversæ speciei, at ejusdem generis proximi; genus autem idem proximum appellamus animal terrestre gressibile perfectæ naturæ; siquidem ante omnia [a] *Majolus Episcopus* in opere suo *Dierum Canicularium*, & ante illum *Fulgosius* ille olim *Genuæ Dux* inclytus, asserit *Frusinone* ortum fuisse agnum humano capite *C. Aurelio, & P. Sulpitio Coss.* Belluina capita hominibus fuisse confitetur idem [b] *Episcopus*: ac speciatim equino capite compertos homines testatur *Arrianus* apud *Ramusium*. Narrat *Petrus Damianus Archiepiscopus Ravennas*, & *Cardinalis*, *Robertum Gallorum Regem* propinquam sibi copulavisse in uxorem; ex eaque suscepisse filium anserinum per omnia collum, & caput habentem. *C. Lycostheni*, in *agro Constantiensi* mulier humano capite leonem peperit. Eidem autori, in *Germania* propè *Lauffenburgum* oppidum in finibus *Helvetiorum* ad *Rhenum fluvium* situm, natus est infans manibus ac pedibus anserinis, horrendo capite, in has effigies.

[a] Colloq. 7. lib. 1.

[b] Colloq. 2. t. 1. lib. de mirac.

Vin-



e Spec natu. li. 31. cap. 126. d colloq. 7. li. 8. c. 42. cap. 46.

Vincentius [e] asserit ætate sua delatum esse *Regi Franciæ Ludovico* monstrum, nempe hominem canino capite. [d] *Majolus Episcopus Iulio Cæsari* fuisse equum humanis anterioribus pedibus; neque alium dorso excepisse legit apud *Suetonium, Plutarchum, Plinium; Solinum*, asserentes mira illum celeritate ex *Italia* in *Belgas* profectum.

C. *Lycosthenis* relatu, *in Albania* ignobilis muliercula monstrum bis gemini corporis est enixa,


aversis vultibus, & corporibus sibi cohærens: ante quidem effigies hominis integra, corporisque membrorum constitutione distincta, retrò verò facies canis, similiter corporis, & membrorum proprietate integra.

Gualtherio quoque chronistæ ex *Rubeaquense* circa finem imperij *Lotharij Cæsaris*, qui fuit
Anno Dñi. 854. *Saxoniæ dux*, mulier partum edidit specie hominis, & canis corporibus integerrimè conjunctis, dorso connexis, ac dorsi spina solidissimè conglutinatis.



Porca

Porca enixa fœtum edidit humana facie. Idem 1011.
genus monſtri paucos poſt annos exortum. *Henrico* 1918.
imperante ſus fœta porcum peperit humano capite. 1055.
In *Paroecia Legienſi* matre ſue natus eſt porcellus 1109.
e Lib.24. cap.12. habens faciem hominis. *Paræi* e relatu & *Lyco-* 1110.
ſthenis in *Eburonum* quodam pago ſus nephrendem 1118.
edidit facie, pedibus, manibuſque humanis; reli- 1126.
liquo autem corpore ſuem referentem. In *Gallia*
conſimile monſtrum enatum.



f Majol. colloq 7. Fulgoſ. 1. de prodig. In f *Rathſtadio* oppido in *Alpibus Noricis*, quas *Taurum* incola vocat, infans cornutus na- 1233. tus eſt. Monſtrum aliud in agro *Veronenſi* editum,

Paræi

Anno Dñi. 1254. *Paræi* [g] etiam observatione: fuit autem equæ par- [g] l.24.c.1.
tus quadrupes humano capite, ad cujus murmur, va-
gitum, & confusum humanæ vocis sonitum accur-
rens ruris illius accola, & novo attonitus spectaculo,
execto ingenti gladio monstrum occidit: quam ob
caussam ad judicium tractus, & de monstrosi partus
origine, deque occidendi caussis interrogatus, hor-
1274. rore, atque abominatione rei tantum se fecisse re-
1297. spondit: quo audito judices suspicionem omnem de-
1315. posuerunt. In factis *Dominicanorum Colmarien-*
1493. *sium*, natus est puer propè *Lauffenberg* habens ma-
nus & pedes anseris, & caput monstrosum per om-
nia. Ibidem legitur paullò post in *Columbaria*
equum fuisse, qui formam in se mulieris, marisque
comprehendit. *Albertinus Mussatus Patavinus Hi-*
storicus, nuper MSS. Cod. recensitus, & Notis per-
petuis illustratus ab eruditissimo *Felice Osio* [b] ait.
Per hos dies, (mense scilicet Majo Anni 1315.) in
Porcilio Colonia Veronensi ex equa prodigium insi-
gne exortum est, fœtus scilicet vivus, quadrupes
equini corporis cum cervice, & capite humanæ figu-
ræ, quem cùm balbutientem horrendo vagitu vir
agrestis, in cujus tugurio editus erat, conspexisset, rura-
li simplicitate conterritus harpe continuò mutilavit,
præfixo capite in pali acie secus accessum tugurij ad
transeuntium spectaculum: qui insinuatione ali-
quorum ad curiam evocatus, atque de generatione,
& singulis inquisitus, curve sic repentè ipsum neca-
verit; nihil præsumptione dignum, nisi quod metus
solius invasione id fecerit, in illo compertum est.
amota cujusque alterius delicti suspicione, quod
sic in patulum monstrum edidisset, cui rem occulta-
visse tempus, & locus facultatem obtulerant.

[b] VII. de Gestis Italicorum post Henricum VII. Cæs. Rubrica VI. pag. 52.

Romæ

Romæ puella innupta filium ſemicanem peperit, qui umbilico ſurſum verſus, humanam, inde verò deorſum canis exquiſitam haberet effigiem, id monſtrum memorant, [i] *Volaterranus*, [k] *Cardanus*, [l] *Paræus*, & alij plures.

[i] lib. 24. ti. de veſica. [k] 14. de rer. varie. c. 64. [l] lib. 24. cap. 12.



Scriptum *Volaterranus* in *Commentarijs Urbanis* reliquit, ſub *Pio* hujus nominis III. Pontifice Maximo, in *Hetruria* puellam quamdam, quod cum cane adamato ſtupri conſuetudinem habuiſſet, gravidam eſſe factam, ac ſemicanem fœtum ediſſe, hoc eſt pedibus, manibus ac auribus caninis,

cetera verò hominem; remque expiationis gratia ad Pontificem fuisse dalatam.

Memoriæ proditum est, relatu *Magij suis in*
1543. * *Miscellaneis*, *Avenione*, anno salutis humanæ mil- * lib. 1. c. 20.
lesimo quingentesimo quadragesimo tertio ex simili concubitu editum esse monstrum, humano quidem capite præditum, sed auriculis, collo, brachijs, manibus, veretro, partibusque alijs quibusdam caninis: puerperam verò fassam esse se à cane initam, ideoque mox pridie Calendarum Augusti jussu *Francisci Gallorum Regis* unà cum cane amasio, vindicibus flammis facinus expiasse.

Cracoviæ in suburbana villa, cui *Nigræ* nomen
1444. est, mulier puellum edidit collo, & auribus leporinis: diducto rictu spirantem: uno grandiore intestino totum ventrem occupante: ceteris membris humanam figuram habentibus.

1233. Anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo tertio ut antea notabamus, in *Rathstadio oppido* in *Alpibus Noricis*, quas *Taurum* incola vocat, infans cornutus natus est; vagitus atque ploratus ejus quatuordecim ante dies quàm ederetur, auditus: Hæc *Lycosthenes.* At *Plutarchus Paradoxorum libro secundo* refert ex *Aristotele*, *Aristonymum Ephesium*, filium *Demostrati*, mulieres exosum, asinam inijsse, quæ suo tempore filiam peperit formosissimam, *Onoscelim* nomine, quod sonat, asininis cruribus præditam, in has effigies.

Ad



Ad oppidum *Bitterfeld* vitulus in agro repertus eſt oculis, naribus, & auribus humanis: vertice tonſo, & miniato; rictu, & pectore vitulino: cruribus anterioribus vitulinis, poſterioribus humanis, & brevibus admodum: ſed utriſque deſinentibus partim in ungulas vitulinas, partim in humanos digitos, qui ungulis ſuberant, & ſeparatim propendebant. Anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo primo, in 1551.
Marchiæ villa *Dammenwalde*, propè *Wiſtock*, coloni cujuſdam conjux monſtrum edidit à *Fincelio* ita deſcriptum, infans toto corpore fuit ſpadiceo colo-

re capite cornuto, oculis crassis, prominentibus, carens naso, patulo ore, quod longitudine spithamæ distentum erat; in cujus medio lingua candida eminuit & quadrata, colli expers, caput enim scapulis accreverat; corpus totum inflatum, & rugosum; brachia in lumbis hæserunt; pedes longè tenuissi-
Anno Dñi. mi: ab umbilico autem species laxi intestini depen-
1554. debat ad pedes. In villa *Pomeraniæ Rekouw*, vicina *Rudio* ad *ostium Viadri*, equi pullus natus est capite horrendo, oculorum loco maculæ fuere subrufæ; aures pendulæ, quales sunt canum sagacium, infimis auriculis cuti accretis; os erat monstrosum labris inflexis, ut duæ tudiculæ compositæ, unde lactari non poterat: collum erat tortum, & sinuosum, distinctis coloribus veluti catenis variatum; juba implexa, plena plegmatibus: eo hinniente putabatur hinnire magnus caballus: accedentibus nobilibus toto corpore movebatur, terram pulsabat, velut in rabiem versus, & quasi impetum in ipsos facturus, erectus stabat hinnitu terribilis: cives, aut colonos ferre poterat, ijs accessum liberum permittens: cutis erat asperior, & villosa: in locum caudæ alta crista erigebatur, etiam mortuo pullo: pes imus anterior unus erat humanus; alter nullus erat, sed tantum tibia manca, pedes posteriores erant equi-
1555. ni: extinctus in trivio sepultus. In *Pomeraniæ villa Rossauw*, propè *Passelwalck* sita, femina monstrum edidit horrendum; corpus erat vitulinum; caput glabrum, ac rotundum instar globi, ad simiæ similitudinem; mentum hirsutum; prominens lingua; pedes anteriores absque ungulis, solis globulis rotundis; posteriores bovilli; cauda sine nodis,
1556. ossea, & omnino immobilis. *Basileæ Rauracorum*

pullus

pullus natus eſt crudeli aſpectu; corpore quidem ſatis benè compacto, ſed capite hirſuto, canem, aut cattum magis, vel ſimiam, quàm hominem referente: vixit ſemihoram circiter. In pago *Cleisdorf*, non procul à *Bamberga*, in prædio viduæ nobilis, *Fincelio* autore, vacca enixa eſt monſtrum pedibus quatuor vitulinis; capite humano, virili, atra barba, geminis auribus humanis, modicis capillis, pectore humano, & mammoſo. [m] Paræi quoque teſtimonio *Bruxellæ* in ædibus *Jodoci Dikpeert*, Vico *Warmoesbroeck* ſus ſex peperit nephrendes, quorum primus monſtrum erat capite, facie, anterioribus pedibus, & omoplatis hominem referens, reliquo toto corpore nephrendem: nam & genitalia feminæ ſuis habebat; ceterorum more ſuilla ubera ſugebat: ſed ſecundo ſui ortus die à plebe monſtri diritate incitata cum matre confoſſus eſt. Horum monſtrorum hujuſmodi fuerunt effigies.

[m] Lib. 24 cap. 12.



Alberti Magni temporibus in villa quadam vacca vitulum ſemihominem peperit; pagani concurſu facto paſtorem quaſi tanti ſceleris conſcium in judicium rapuerunt mox cum vacca comburendum: ſed opportunè adfuit *Magnus Albertus*; cui propter *Aſtronomicæ* artis multiplicem experientiam crediderunt non humano aliquo ſcelere, ſed ſtellarum certæ conſtitutionis efficacia id generis monſtrum editum fuiſſe. [n] *Plutarchus* adoleſcentem paſtoralem memorat, qui ſibi monſtravit equæ partum, ſupernè ad cervices uſque, & manus humana forma; reliquas partes equinas habentem; in morem hominum recens nato-

[n] In Sympoſio.

[o] Parallel. 29. natorum vagientem. Idem in *Aristotelis* [o] *Paradoxorum libro secundo*, quem desideramus, legit asinam peperisse puellam formosissimam, sed asininis cruribus præditam. [p] *Cælij Rhodigini* observatione apud *Sybarim* capella infantem peperit humana facie, caprinis cruribus, ac veluti satyrum. Ex *Polidoro* [q] *Virgilio* legimus, ex *Livio*, [r] *Fabio* consule, ex *Valerio* [s] *Maximo*, & ex *Rueffo* [t] puerum natum cum elephanti capite, in hanc effigiem.


[p] Lib 25. cap. 32.
[q] 3. de Prodigiis.
[r] decad. 3. lib. 7.
[s] lib. 1. c. 6
[t] 3. de concep. c. 3.



Paræi relatu, monstrum in *Italia* peperit mulier Hebræa; quod erat infans ore leonino, intusque eo dentibus duobus candidioribus, & alio quodam osse pectori gallinaceo non absimili, deformatum posterius ad.

ad regionem, ubi aliàs cauda propendere ſolet, paullò tamen ſuperius, habebat characterem inſtar verucæ, ceteris omnibus erat homini ad naturæ leges nato conforme; vivumque ſeptimanas quinque manebat.


In ditione *Novarienſi* ex muliere vetula natum proditur monſtrum cruribus, & pedibus bovinis, reſiduo corpore humano; ſed ſeptem habens brachia, totidemque capita uni buſto affixa; uno capitum auriculas hircinas, & oculum unicum habente, illumque in medio frontis ad inſtar Cyclopum. Puellam natam leonina facie teſtatur *Paræus.*



Hero-

Herodotus in *Melpomene* ſcribit, *Herculem* in antro quamdam inveniſſe virginem ancipitis naturæ, humanæ, ac ſerpentinæ; ſupernè quidem femorum tenus, feminam; inferius autem viperam; eam conſpicatum *Herculem*, atque admiratum interrogaſſe nuncubi ſuas equas errabundas vidiſſet; illamque reſpondiſſe, ſe quidem illas habere ſed non prius redditurain ei, quàm cum ipſa coiviſſet; *Herculem* pro ea mercede cum femina concubuiſſe. Huic ſimile monſtrum natum dicit *Philoſtratus* ex *Pallade* ac *Vulcano*, *Erichthonium* nomine. Noviſ-
ſimè anno Domini milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo 1629.
nono, menſe Julio, in *ditione Patavina*, propè oppidum *Montiſſilicis*, in *Villa*, cui nomen, *Amolaradiema*, uxor bubulci *Domini Bernardi Griſalconi* (ut mihi teſtatus eſt in ſcriptis clariſſimus *Laurentius Pignorius*, & voce conteſtatus eruditione probitateque ſpectabilis *Martinus Sandellius*) peperit puellam, & exiguo tempore intercedente mox enixa eſt monſtrum, quod erat integer felis, cui à parte poſtica dependebant duo integra crura cum partibus coxarum hominis; quam humanam appendicem catus retrò poſt ſe trahebat: Monſtrum hoc in *Urbem Patavinam* delatum, projectum fuit in *fluvium Medoacum*, ibique demerſum; cujus ea fuit effigies, juncta cum icone monſtri ſuilli, de quo ſuperius.

Conſtat igitur revera fieri aliquando in natura partus, membra obtinentes diverſarum ſpecierum animalium perfectiorum partes repræſentantia.



CAP. LIX.

Monſtri multiformis diverſas animalium ſpecies in eodem genere proximo cauſſa, & origo primùm depromitur ex apparentia.

AT verò monſtri multiformis diverſæ ſpeciei animalium perfectorum membra referentis origo eſt è multiplici cauſſa; ceterum in primis illud obſervatum volumus, non omnia, quæcumque in hoc genere monſtra videntur, verè monſtra exiſtere; ſiquidem

Monſtra non omnia vulgo apparentia.

[a] 4. de gen. an. cap. 4 quidem ut, [a] *Aristotele* doctore, ferarum partus nonnunquam caput habent, haud verè humanum, sed tamen humano simile: sic existimandum est mulieres edere posse fœtus, qui capite, aut alia quapiam corporis parte varia brutorum animalium membra referant: Hinc planè, Physiognomi varios hominum mores, & inclinationes conjectantur ijs affectibus, ac passionibus consimiles, quibus ejusmodi bruta obnoxia esse conspiciuntur; quod apertissimè constat ex ipsomet *Aristotele in Physiognomicis*. Verùm ea similitudo, quæ multitudini plerumque de identitate imponere consuevit; virorum doctorum judicio, quorum interest rerum existentiam, non apparentiam solùm internoscere, ab identitate separari debet. Si qua ergo mulier fœtum ediderit, cujus caput canis, aut bovis referat imaginem, ille haud protinus inter monstra reponendus est, nec puer dicendus verè cinocephalus, aut bovillo capite, sed humano ad ferini effigiem inclinante. Idem prorsus esto judicium de plerisque belluarum filijs, quorum capita humana, vel alterius speciei esse videntur. Quod enim scribitur ab [b] *Aristotele*, unumquodque generans subcæleste in animantium serie vivens, generare sobolem sibi consimilem, huic sententiæ minimè refragatur; tum quia id assertum est de similitudine, seu potius identitate speciei essentialis, & formæ interioris, quam substantialem nuncupant; non autem de similitudine speciei accidentalis, exteriorisque formæ, quam figuram dicimus, & imaginem; de qua nunc agimus: quod utrumque legimus ex [c] *Aristotele:* tum quia ibi solis viventibus perfectis, ac non mutilis hoc attribuit [d] *Aristoteles*, ut generent viventia sibi consimilia: Ceterum

Physiognomi unde mores hominum conjectentur. Similitudo vulgò non discernitur ab identitate.

[b] 2. de an. t. 34. & 35.

Dubium.

Solutio.

[c] 2. de an. t. 34.

[d] 4. de gen. an. cap. 3.

quæ sibi dissimilia procreant, id habent ob aliquod impedimentum, quo prohibentur ne possint suum finem integrè consequi; agentia verò impedita referenda sunt ad imperfecta, & mutila; quippe illis deest virtutis robur, quo tale superent impedimentum. Sic ergo pleraque monstris consimilia non benè vulgo inter verè monstra collocantur.

CAP LX.

Secunda caussa, & origo monstri multiplicis speciei animalia referentis, ex imbecillitate generantis pendere demonstratur.

Altera verò caussa monstrosi partus animalium varias species præseferentis in parentibus comprehensa ex [a] *Aristotele* pulchrè haberi potest; cui virtus generantis aliquando robusta est, aliquando autem imbecilla, & secundum varios imbecillitatis gradus differenter affecta: Quum itaque generans homo simul sit vivens, animal, homo, masculus (exempli gratia) *Lucretius*, & tali figura, conformationeque corporis constitutus; ab istis omnibus attributis, & formis essentialibus proprias sigillatim vires obtinentibus in unum junctis conflatur universa vis generantis in se complectens omnium propositorum virtutes omnes; quorum vis etiam singula in actu generationis, alijs quacumque ex caussa ocianțibus, operari potest. Quamobrem *Lucretius* ille, ubi virtute polleat, optimè subigens materiam feminæ, seu fœtus, ex ea generat vivens animal, & hominem masculum sibi etiam in exteriori figura consimilem: ubi autem primum gradum imbecillitatis contraxerit in virtute configuratrice, atque adeò

[a] 4. de gen. an. c. 3.

Generantis virtus ut varia fit.

adeò virtus individui langueat (individuum hic cum *Porphyrio* [b] ſumo ex collectione omnium accidentium) non ita omnino materiei dominans hominem maſculum procreat, ſed tamen in figura non ſibi omnino conſimilem: ubi verò majorem adhuc obtineat imbecillitatem, & cum individui virtute proſtratum ſit etiam robur ad ſexum attinens, tunc homo *Lucretius* nec ſibi ſimilem in figura, nec marem, ſed hominem feminam ſibi diſſimilem procreat: ſed ubi cum virtute ſexus imbecilla vis individui valida conjungitur, à *Lucretio* gignetur femina ſibi conſimilis in externa corporis, ac faciei figura: verùm ſpeciatim dejecta in *Lucretiano* ſemine virtute ſpeciei, fœtum conſtituet ille non homini ſed animali conſimilem vel in parte aliqua, vel in toto etiam corpore: atque hinc oriuntur ex mulieribus virtute maſculi hominis imbecilla monſtroſi partus variorum animalium naturam præſeferenres, modò viliorum, modò nobiliorum, prout virtus generatrix majorem, vel minorem contraxerit imbecillitatem; ac modò in una parte corporis, modò in alia; modò in pluribus, modò in paucioribus; prout modò languet virtus in una particula ſeminis determinatum membrum fœtus apta conſtituere, modò in alia; modò in pluribus, modò in paucioribus; undecumque illam imbecillitatem contraxerit, ſive ante ortum ſeminis in ea parte determinata, ex cujus reſiduo alimento primordialem materiam habet; ſive in teſtibus, dum ſemen efficitur: ſive poſt ſeminis ortum in utero mulieris. Inſuper autem ſi adhuc debilior extiterit virtus agentis, eò quod jaceat enervata virtus individui, ſexus, ſpeciei, ac proximi generis; ac ſpeciatim ſi langueat virtus animalis productiva, ab illo

[b] cap. de ſpecie.

generante nec homo, nec animali simile, sed vivens quoddam generabitur carnis frustum rude, nomine mola: & hac sanè ratione procreatum dixero monstrum illud, quod hoc anno M DC XXX. die xxv. Maij vespere natum est *Romæ*; ubi proxenetæ cujusdam uxor, in *Platea Sciarræ* nuncupata, quum duas edidisset molas, peperit magno cruciatu animal; cujus caput, & pedes anteriores bufonem referebant, reliqua pars corporis repræsentabat piscem illum, quem *Festus* Lingulacam, *Plinius* * Soleam, *Venetus* Passerem, vel Folium nominat, quam historiam ex *Urbe Roma* nuper habitam mihi communicavit eruditus *Pignorius*. Sin ulterius etiam *Lucretij* virtus generatrix in debilitate provehitur, jam nihil omnino generat ille homo, sed infœcundum semen sterilis effundit. Monstra itaque varia generantur in humana specie variorum brutorum effigiem habentia, ob generantis seminis imbecillitatem dejecta virtute speciei, quæ infirma non potest partum parenti similem effingere; quum illi adjuncta virtus animalis vivida conceptui figuram animalis imperfectioris indere valeat; siquidem omne agens *Aristotele* [c] doctore agit quatenus est actu: agens autem imbecillum quum se habeat ad validum ut id quod potentia est, ad id quod est actu; quippe robur omne agendi est ab actu; propterea debile agens robusto cedit in operando. Propositam verò theoriam insinuavit apertè nobis [d] *Aristoteles* alicubi dicens monstra exoriri à semine corrupto in utero; corruptum autem semen alienam habere naturam à generante; ac proinde illius seminis opera non gigni similia ei animanti, à quo effluxit: corruptum autem semen non intelligit putrefactum; sed illud, in quo langueat virtus speciei, vigeat sola generica:

* lib. 9. cap. 20.

c 3. Phys. t. 17.

Robur omne agendi ab actu est.

d 4. sectio. probl. 13. & 14.

nerica: licet ex corrupto per putrefactionem ſemine in utero ſpontè naſcantur aliquando ranæ, ac ſerpentes; quas à mulieribus partu editas monſtra vulgus appellat. Generans igitur homo vi ſui ſeminis quomodocumque corrupti monſtroſos partus, eos non ut ſuam prolem agnoſcit; ſed ut alienam repudiat; quia genericam naturam, ut puta non ſibi propriam, ſed alijs communem animalibus, alienam ſibi opinatur. Ita ergo cauſſa monſtroſi partus plerumque una eſt imbecillitas virtutis generantis in maſculeo ſemine reſidentis: quæ quidem imbecillitas, ut frequentiſſimè provenit ab exilitate caloris naturalis in ſemine degentis; quam ſolam reſpexiſſe videtur ibi *Ariſtoteles*, hujuſmodi ſemen, à quo monſtra producuntur, corruptum appellans, atque putreſcens; quum putredo, & miſti corruptio ſit extinctio caloris interni apud * eumdem autorem: ita pendere poteſt ab ejuſdem ſeminis quacumque intemperie: ſiquidem virium robur qualitas eſt, naturale temperamentum conſequens; quam eo quomodocumque vitiato labefactari neceſſe eſt.

Ex corrupto ſemine quid enaſcatur.

* 4. Meteo. Cap. 2.

Virium robur quid ſit.

CAP. LXI.

Tertia cauſſa & origo monſtri multiformi animalium ſpecie elicitur ex degenerata ſeminis anima in naturam alienam.

UBi autem ſeminis robur non ſolùm remitti contigerit, ſed eſſentiam, ac formam variari, & in aliam ſpeciem vel ſecundùm totum, vel ſecundùm partes degenerare; hinc nullo negocio monſtroſi partus, & varias animalium ſpecies referentia

tia monstra contingere valebunt. Ac sanè posse in alienam speciem semina mutari, apertissimè constat in stirpibus, nam haud semel sata frumenta in lolium degenerarunt, & frequentisimè in siliginem, ac vicissim siligo in frumentum commutatur [a] *Columellæ*, [b] *Plinio*, ac [c] *Portæ*: sic lolium vicissim satum vertitur in triticum; & linum in lolium; lolium itidem in hordeum [d] *Theophrasto* autore, ac *Portæ* [e] observatione. Quod autem stirpium seminibus in terra contingit, id ipsum animalium spermatibus in utero feminarum contingere posse probabile est; nam *Aristoteleo* [f] decreto, & [g] *Platonico* theoremate, utero, & matre animal utitur, ut humo planta: quinimmo terra non mulierem conceptu, partuque; sed terram mulier vicissim imitatur, utpote natura priorem. Ubi ergo masculi semen in utero feminæ quavis de caussa degeneraverit à pristina natura, ejus anima in aliam speciem commutata: siquidem totum semen hujusmodi mutationem perpessum fuerit, homo integrum animal diversæ speciei, non monstrum, sed veluti monstrum, ut ait *Plato* in *Cratylo*, monstrosa generatione procreabit: sic mulier illa ex legitimo concubitu simium, sic altera suem; sic alia ursum, sic alia leporem parere potuit. Sin autem seminis aliqua portio tantum degeneraverit in viliorem naturam, ac omnino mutata fuerit in alienam speciem; siquidem à reliquo spermate segregata fuerit, duo animalia diversæ speciei ex eo femina pariet: ita mulier illa post humanum caput membranis involutum parere potuit serpentem, ac tertio suem: quantò enim propinquior est [h] suilli corporis natura corporeæ hominum substantiæ, tantò minus difficilis est hujus in cam

[a] 2. de re rust. c. 9.
[b] lib. 18. c. 8.
[c] lib. 11. vill. c. 18.
[d] lib. 8. c. 8
[e] lib. 11. vill. c. 17
[f] 2. de gen. cap. 4. 2. meta. t. 30.
[g] In Menedemo.
[h] Gal. 10. de simpl. med. fac.

eam commutatio: ita etiam altera infantem parere quivit, cujus dorso inhærebat homicida serpens: ex *Rubeaquense* siquidem habemus anno Domini M C D X C I V. *Cracoviæ* mulierem quamdam in platea, quæ à S. Spiritu nomen habet, infantem exanimem peperisse, cujus dorso serpens vivens inhærebet arrodens, ac depascens cadaver infantis. At verò si seminis mutata portio in dissimilem speciem adhæserit immutatæ planè, ab utrisque una junctis monstrum fieri valebit, partes habens varia diversorum animalium membra referentes; sic mulier infantem parere potuit canino, bovillo, ac elephantino capite: sic mulier quævis alia citra crimen nefariæ veneris monstrum varias animalium diversæ speciei partes referens partu edere valuit: Id ipsum afferas de monstro ex seminis brutorum animantium orto, cui caput, aliave pars aliqua diversæ speciei animalium membra æmularetur. Ceterum de hac viventium degenerandi potestate in aliam speciem à nobis agitur in opere [h] *De spontaneo viventium ortu.* Ita ergo monstra multiformia, ex partibus diversæ speciei animalium membra referentibus constituta, originis suæ caussam in paterno semine habere possunt, cujus aliqua, vel plures partes degeneraverint à natura pristina, & in alienam speciem commutatæ fuerint; undecumque illis advenerit commutationis occasio; partes inquam illæ seminis degenerant determinatæ, quibus à consimili parte parentis originalem materiam habentibus decreta erat à natura certarum illarum partium procreatio in fœtu, quæ monstrosam naturam partui formaliter indunt. Non alia sanè ratione in artibus ob artificis imperitiam peccata, & monstra fieri observabat *Aristoteles*:

h lib. 4. cap. 31.

les; [i] quæ contingere novimus etiam vitio instru- menti, quo artifex indiget, ac utitur ad operandum: est autem artifex imperitus à perito artifice degenerans; est item instrumentum ineptum à propria instrumenti natura degenerans. i 2. Physic. t. 82.

CAP. LXII.

Quarta monstri multiformis varias animalium species referentis origo; & caussa eruitur ex materiali fœtus principio.

MOnstrosi ejusdem partus varias animalium species diversis partibus referentis alia caussa itidem in parentibus sine culpa existens doctore [a] *Aristotele* una est materiei mala dispositio, quam *Averroës* materiæ inobedientiam appellavit: quum enim absolutè actus activorum non fiant perfectè nisi in patiente benè disposito [b] *Aristotelis* observatione; quumque omne quod recipitur per modum recipientis recipiatur; proculdubio ubi agens validum, minimèque à natura pristina degenerans, materiam optimè dispositam sortitum fuerit; ex illa effectum sibi numeris omnibus quàm simillimum efformabit secundùm naturæ tum genericæ, tum specificæ, tum etiam individualis attributa omnia: sin autem idem agens materiam ineptam aliqua ratione offenderit, ac speciatim susceptioni accidentium individualium; nec eam omnino subigere valeat; ex ea generabit quid sibi simile in essentia specifica, non autem in figura exterioris individui. Si verò major adhuc extiterit materiæ ineptitudo; masculus ex eo feminam constituet. Ex materia verò adhuc ineptiori, non habente dispositiones exactas ad atributa

a 4. de gen. an. c. 3. & 4.

b 2. de an. t. 24. & 26

naturæ

naturæ ſpecificæ; ſi quidem tota materiæ moles hujuſmodi fuerit, ea non apta recipere parentum imaginem ſpecificam, alienam induet; ſic femina ex maſculo ejuſdem ſpeciei monſtroſo partu edere poterit animal integrum diverſæ ſpeciei, ut mulier elephantum, ſerpentem, ſimium, & id generis: ſin autem aliqua tantum materiæ portio caruerit ea diſpoſitione, qua opus eſt ad formam hominis ſubeundam; habuerit autem eam, quæ ſufficit ad induendam ſpeciem animalis; prout majorem, aut minorem eam diſpoſitionem nacta fuerit; eo vel perfectioris, vel imperfectioris animalis naturam, & ſpeciem induet illud membrum, quod ex ea portione materiæ determinatè fiet; ſic homo capite anubidis, ſic infans ore leporino enaſci poterit. At ſi multiplices ſint in materia conceptus portiones varijs membris conſtituendis à natura deſtinatæ, quæ non habeant diſpoſitionem proximam ad formam ſpeciei ejuſdem cum generante, ſed tantum remotam ad naturam animalis, eamque multiplicem; ex ea maſſa monſtrum exorietur multas partes habens variorum generum animalium membra referentes; unaquaque portione materiæ pro varia ſui diſpoſitione ab eodem agente varias formas in ſe recipiente; quod frequentiſſimum eſt in natura: nam ſimul ab eodem calore Solis lutum induratur, cera liqueſcit, capilli dealbantur, & carnes mulierum denigrantur, ob unam materiꝗ variam diſpoſitionem *Ariſtotele* [c] doctore. Sic ortum eſſe potuit *Romanum monſtrum* ſuperius tactum, cujus nuperrimè diſtinctiorem habuimus hiſtoriam hujuſmodi, nimirum hoc anno M DC XXX. die xxv. Maij. hora diei XXIII. tranſacta, in platea *Sciarræ* nuncupata, conjux proxenetæ cujuſdam, mulier non

[c] 4. ſecti. probl. 8. 10.

deformis, mariti benè formati, quæ pridem duos filios ediderat nunc optima sanitate fruentes, post unius aut alterius molæ partum acerbissimis doloribus cruciata, bolis quibusdam theriacæ ac hyacinthi à Medico refecta, monstrum peperit multiformem ab humana speciem referens; nimirum capite canino, cum ore, ac pedibus anterioribus bufonis; coxis, ac tibijs in unum unitis seu colligatis veluti quadam cauda *piscis Rajæ*; color totius corporis infra collum fuit veluti *piscis Lingulacæ*, quam *Soleam* vel *Passerem Plinius* appellat: corporis massa multum confusa terminabatur quadam divisione, copulabaturque prædicta cauda; in cujus fine aderat oculus veluti *Torpedinis*, positum hoc monstrum in catino aqua tepenti pleno, pedibus anterioribus motitabatur, ac si salvari natando niteretur; domesticæ mulieres quibusdam bacillis acutis monstrum pungentes submergentesque suffocarunt. Ceterum ex materia, quæ majorem quoque prædictis obtineat ineptitudinem ad subeundam parentum speciem, semen vividum molam efformabit, rude carnis frustum, nullius animalis effigiem referens. Ex ineptissima denique materia efficiens caussa quantumvis robusta nullum vivens procreare poterit; unde sterilis femina conjugium reddet infœcundum; materia namque fœtui maximè à matre inest. Ineptitudo igitur materiei, quam agens haud potest ad libitum formare, caussa est etiam ut ab hominibus generentur infantes monstrosi, varias partes ferinis similes habentes: Sic planè idem artifex in materiam dispositam pulchrè formam simillimam ei, quam mente gerit, procreabit; sed ex materia contumaci, atque inepta, ut ex porphyrite, figuras rudes non effingere non poterit. Ad hanc

hanc ſanè cauſſam retuliſſe monſtra videntur etiam ſacræ paginæ; quandoquidem vel *Paræus* [d] nobiſcum apud *Eſdram* [e] *Prophetam* legit mulieres quæ fluentibus menſibus viro ſe commiſcuerunt, monſtra parituras.

d lib. 24. cap. 1.
e lib. 4. cap. 5.

C A P. LXIII.

Quinta monſtri humani brutalem effigiem habentis origo, & cauſſa ex virtutis alentis vitio elicitur.

PRopoſitæ monſtrorum humanorum ferinam imaginem habentium cauſſæ in aliquo parentum vitio conſiſtunt, ceterum aliam eorundem cauſſam ex vitio nutricationis in ipſis monſtris exiſtente cognoſcimus; quæ potis eſt monſtrum conſtituere non ſolùm in utero conceptum humanum deformans, verùm etiam jam natos homines antea perfectos in ferinam effigiem conformans. Si enim vis alens, cujus proprium eſt aſſimilare alimentum concoctum, & partibus humanis jam applicatum, ſuo munere hoc ſpeciali fungi non valeat; procul dubio membrorum humanam formam prius habentium conſtitutionem vitiabit, inducta quomodocumque ferina effigie: quam theoriam docuit apertiſſimè nos [a] *Ariſtoteles.* Et revera quæ ſuperius de vi formatrice conceptus ratio allata eſt, locum habet eumdem in vi aſſimilatrice nutrimenti, ſeu conciliatrice nutrimento formam humanam; ſi enim ob debilitatem vis formativa conceptus humanam effigiem in aliqua materiæ parte moliri non valens, alterius animalis figuram cogitur efficere; quid ni languida etiam vis in nutricatione aſſimilatrix alimenti, quæ figuram partis præexiſtentis nutrimento communicare deberet,

a 4 de gen. an. cap. 3.

 ſuum

suum munus perficere non valens, animalis alterius vilioris in aliquibus partibus hominis enutriti effingat, & hac ratione monstrum humanum ferinas partes habens in esse constituat?

CAP. LXIV.

Sexta hominis monstrosè ferinas partes habentis origo, & caussa in alimentaris materiæ vitio reperitur.

EIdem monstrorum generi caussam, & originem præbet cum in utero, tum etiam extra uterum materiæ alimentaris ineptitudo ad humanam formam alicujus partis recipiendam, nullo existente vitio in facultate nutriente; quippe quum omnis forma recipi debeat in materia [a] disposita, & omne quod recipitur haud nisi permodum recipientis recipiatur; sanè si quædam portio alimenti jam alicui parti humanæ agglutinata dispositionem non habeat ad subeundam naturalem illius particulæ figuram, ab agente anima nutritiva caloris naturalis usa ministerio figuram animalis alterius, ad quam obtinuerit majorem propensionem, obtinebit; unde fiet monstrum humanum ferina membra obtinens, in utero quidem, si tale quid eveniat in nutricatu embryonis. extra uterum verò, si contigerit hoc homini adulto, quæ duæ monstrorum caussæ si quando concurrant: in aliquo, tunc promptius monstrum, quo de agimus efficient. Ac sanè talium monstrorum originem retulit *Aristoteles* in duas caussas novissimè allatas, nempe in debilitatem virtutis nutrientis fœtum, quæ appositum alimentum nequeat ita benè speciei, ac naturæ humanæ assimilare; atque in materiæ alimentaris ineptitudinem, quæ ad amussim nequeat à virtute

[a] 2. de an. t. 24. & 26.

tute nutritiva fœtus in humanam effigiem conformari; de quibus simul edisserit in hanc sententiam *Aristoteles*, [b] *Degenerat autem quod patitur nec superatur, aut defectu facultatis ejus, quod coquit, & movet; aut copia, frigiditateque ejus, quod concoquitur, & distinguitur: Quum enim partim superet, partim non superet, facit multiforme quod constituitur; ut athletarum nonnullis per usum cibi nimium accidit; quum enim per copiam pastus natura nequeat superare, ut proportione augeat, formamque servet eamdem, diversæ efficiuntur partes, & adeò interdum, ut nihilo ferè similes primis evadant.* Ita ergo geniti in utero fœtus primum parenti similis, ob nutrimenti nimiam abundantiam, vel etiam ineptitudinem, nequeunte nutritoria virtute illud exactè subigere, vitiatur figura pristina; unde monstrum enascitur. Quod etenim ortis extra uterum degentibus, & adultis hominibus aliquando ab alimento evenit; id ipsum intra uterum viventibus, & recens natis multò molliorem substantiam habentibus, ab eodem posse contingere probabile est. Porro in adultis mutata nimium ratione victus, mutari etiam effigiem faciei ex humana in monstrosam ferinæ similem, testatur & *Aristoteles* in Athletis, ut nuper vidimus, & *Marcus Polus* in seipso, patruo, & patre; nam ex ejus *historiæ Scythicæ præfatione*, à *Io. Baptista* [c] *Ramusio* descripta, collegimus *Nicolaum*, *Maffeum*, & *Marcum Polos nobiles Venetos* diu apud *Scythas* commoratos, eorumque victui assuetos, domum denique reversos *Tartarica* facie, non multùm à ferina dissimili, parum, aut nihil humanæ consimili, à nemine suorum cognitos fuisse. Sed & ratio huic sententiæ adstipulatur evidenter; quum enim certo experimento constet puel-

[b] 4. de gen. an. cap. 3.

[c] Navig. to. 2 init.

puellos altos lacte bovillo, aut equino, aut canino, mores, ac propensiones animo consimiles induere affectionibus animalis nutrientis; quumque alimentum longè magis immutare valeat corpus nutriti, quàm illius animum; quid ni ex alimenti conditione jugiter in tenellum corpus embryonis agente, fœtus aliqua parte adeò mutetur, ut ferinam effigiem sensim adeptus monstrosam induat imaginem? Culpa igitur alimenti seu quantitate, seu qualitate peccantis, monstra multiformia effici potuerunt.

CAP. LXV.

Septima caussa, & origo monstri humani ferinam effigiem habentis ex morbo elicitur.

IN humano etiam genere monstrosæ figuræ variorum animalium effigiem varijs partibus referentes nulla parentum, aut nutricationis culpa, sed sola vi morbi aliquando exoriuntur; materia morbifica faciem, manus, pedesve infantis etiamnum in utero degentis in turpem belluæ figuram deformante. Quod vitium adultis etiam hominibus contingere posse novit *Aristoteles*, docuit experimentum, confirmavit ratio; *Aristoteles* quidem apertè asserens in proposito, ª *Proximum huic est morbus, quem satyriam appellamus; etenim in eo præ abundantia fluxionis, aut flatus crudi in partes faciei decumbentis, facies animalis diversi, & satyri apparet.* Experimentum verò, quia passim à Medicis observatum habemus, elephantiasi morbo correptis hominibus faciem ex humana in ferinam mirè deformari. Ratio demum, quia manuum, pedumque digiti tenerrimi puellorum in utero degentium humore aliquo exedente possunt

ª 4. de gen. an. cap. 3.

possunt excoriari, ac in unum jungi, & contracta cicatrice in formam anserini pedis, anatinæve manus, cohærente membranula, deformari: sic in ambustis adultis aliquando videmus mentum cum pectore membranosa substantia turpiter copulari. Quid ni ergo etiam infantis in alvo materna commorantis mollisimum corpus habentis, ob morbum aliquem elephantiasi, ac satyriasi consimilem, facies in ferinam deformari potuerit ob materiam præter naturam ad vultum transmissam, vel sola quantitate peccantem? hujusmodi autem figuram semper deinde retinent infantes etiam ab eo morbo liberati, tum ea materia nutrimenti instar illis partibus agglutinata; tum quia figuræ ab ortu partibus altè defixæ, sunt indelebiles: quamobrem puelli postea enascuntur facie caninæ, vitulinæ, aut equinæ consimili: sed speciatim os leporinum in fœtu effingitur fisso sive ab erodentibus humoribus, sive aliunde labro superiori, & citra unionem utraque parte cicatricem induente. Poterunt autem hujuscemodi monstra sic & in utero primùm gigni, & extra uterum prostremò fieri; utrobique urgente caussa eorum procreatrice.

CAP. LXVI.

Octava caussa, & origo monstri humani, brutorum effigiem in membris habentis, ex imaginatione parentum desumitur.

VUlgata præterea est hominum, multa variorum animalium membra in suo corpore monstrosè à natura referentium, caussa parentum imaginatio, non vulgato ab alijs modo, quo talis imaginatio ea monstra pariat; quem nos fusè alibi [a] explicavimus,

[a] De Perf. hom. constitut. in uter. c. 26.

hic nobis minimè rescribendum, tibi verò maximè relegendum. Profectò quemadmodum plerumque usu venit, ut quæ gravida vehementius concupiverit, vel etiam timuerit, exhorrueritve, illorum signa, & imagines apertissimè in fœtu conspiciantur; sic planè fieri potest (quod Pater etiam observavit in suo Dialogo *De præstantia, & usu genitalium*) *ut* mater utero gerens vitulinum caput, aut pedes edere desideraverit vehementi appetitu, & natura ejus effigiem puero latenter impresserit, qui proinde homo nascatur capite anubidis, aut vitulins pedibus. Ac veluti mulier alba venerem agens sub albo viro magna sui verecundia ab Æthiope procul irridente visa fœtum nigerrimum de candido conjuge substulit; quemadmodum & illa, quæ cum viro candido juncta Æthiopis imaginem intuendo Æthiopem alba concepisse, & peperisse dicitur [b] *Hippocratis* ingenio à crimine adulterij liberata, cui crediderunt sola imaginationis vi ex albis ortum fuisse nigrum. Nec non vicissim sicuti mulier nigra de nigro in Æthiopia concipiens albam hominis imaginem sæpius intuens, partum candidum edere potuit. Quin etiam ut oves *Iacob* inspectu virgarum sub aquis demersarum fœtus modò unicolores, modò discolores pro virgarum imagine parturiebant: ac demum ut mulier adultero subdita, viri adventum anxiè timens, filios adulterinos marito simillimos procreare solet; quidni ob imagines variarum ferarum, monstrosaque idola parentum phantasiæ quavis de caussa sive in vigilia, sive in somnis obversantes nascantur pueri ferinis partibus deformati? quidni similiter ob imaginem humanam brutorum phantasiæ præsertim veneris, conceptusve, aut formationis tempore obversantem, ani-

[b] Paræus lib. 27. cap. 7.

animamque seu timore, seu spe, seu odio, seu quavis virtute imaginationis parere feræ possint etiam fœtus partes animalium alterius speciei, atque hominis etiam figuram præseferentes? Porro si verum fuisset *Apuleium*, & ante illum *Lucianum* præstigijs in asini formam commutatos, sub ea specie cum muliere venerem exercuisse; uxoremque *Milonis Hypatini Pamphilen* in avem præstigiosè itidem efformatam ad amasios transvolasse; ut verum esse testatur acutissimus [c] *Cæsalpinus*, & ex [d] *Vincentio* [e] *Majolus*, mulierem veneficam in quadam insula unum è nautis illuc appulsis in asinum mirè deformasse; quo interdiu ad vehenda onera, noctu verò ad libidinem abuteretur; quid ni ex tali concubitu mulier concipiens fœtum edere posset monstrificum ex humanis, & ferinis membris fœdè consarcinatum, alterius, vel utriusque coëuntis phantasia spectro ferino altè depicta? etsi verò utriusque parentis phantasia monstroso partui caussam exibere valet; hoc tamen magis maternæ, quàm paternæ phantasiæ adscribendum est, tum quia pater in actu veneris id solùm præstare potest; femina verò etiam post congressum toto conceptionis, & formationis tempore; tum quia mulieres vehementiores habent imaginationes; ut bellè haud minus quàm verè vulgò dici consueverit, mulieres aut efflictim amare, aut crudeliter odisse, mediocriter non affici; sed quia potest hæc imaginatio vehemens in somno fieri, nulla parentum animadversione: propterea evenit ut ab imagine objecti nimium phantasiam parentis lacessente monstrum exoriatur, nec parens sciat se unquam hujusmodi spectrum in memoria habuisse: & quia quæ in somnis phantasiæ obversantur spectra, plerumque chimerica sunt ex di-

[c] Investig. Dæmoni.
[d] 2. spec. nat. c. 109.
[e] Dier. canic. colloq. 2.

Mulier aut odit, aut amat efflictim, nil medium.

versissimorum animalium partibus turpiter conficta: proinde nullum est tam horribile, ac multiforme monstrum, cui sola imaginatio caussam suppeditare nequeat: sed monstra brutali figura horrida gignere parereque mulieres, ex eventu compertissimum esse potest, quo superioribus annis matrona *Sicula* quum utero gerens mirabunda conspexisset in manu piscatoris ingentem astacum nuper è mari captum; tempore partus cum humano fœtu simul & astacum marinum peperit, marino nil prorsus dissimilem; quam historiam testis oculatus non ita pridem mihi retulit *D. Franciscus Maria Delmonaco, Siculus Drepanitanus Clericus Regularis*, vir spectatæ doctrinæ, ac integerrimæ fidei; qui & mulierem novit, & ex ea natum astacum perspexit.

CAP. LXVII.

Nona caussa, & origo monstri varias animalium effigies habentis agnoscitur ex parentibus monstrosis.

SI qui verò monstrosi homines in hoc genere plura membra brutorum partibus similia obtinentes ita conformati fuerint, ut cum muliere seu pariter monstrosa, seu non monstrosa congredi valeant, & eam implere: profectò ex eo congressu mulier monstrum consimile partu edere valebit; adeò natura gestit sibi similem essentiam procreare: atque hujusmodi monstra plurima nasci, hac ratione dicuntur in *Africa*, & in *India*: talia certè sunt ea, quæ tum *Beatus Odoricus* se vidisse testatur plura in viridario ab *Indis* pasci humana facie bruta: tum ab *Olysipponensibus* in *Insula ad meridiem* conspecti Cinocephali: [a] *Aristoteles* enim confitetur ex diversis specie- bus

[a] 2. de gen. an. cap. 5.

bus exorta monſtra poſſe ſibi conſimilem, atque adeò monſtroſam procreare ſobolem.

C A P. LXVIII.

Decima cauſſa, & origo monſtri partes habentis brutorum membra, & humana referentes explicatur ex ſeminum miſtione, ac nefaria venere.

INſuper autem quum ex hiſtorijs, & ex *Ariſtotele* ipſo habeamus mulieres beſtijs nonnunquam coëuntibus ſuccumbere; maſculoſque homines cum belluis corpore miſcere: hinc ſanè fieri poteſt ut à mulieribus infantes edantur ferino capite, alijſque membris belluam referentes; & beſtiarum hinnuli naſcantur humanis partibus monſtroſi, non aliunde quàm à parentibus ſuorum membrorum figuras adepti; & ex variæ ſpeciei ſeminum commiſtione ortum habentes. Ac ſanè teſtimonio *Ariſtotelis*, [a] *coëunt animalia generis ejuſdem ſecundum naturam; ſed ea etiam quorum genus diverſum quidem ſed natura non multum diſtet; ſi modò par magnitudo ſit, & tempora æquent graviditatis: rarò id ſit, ſed tamen fieri & in canibus, & in vulpibus, & in lupis certum eſt: canes etiam* Indici *ex bellua quadam ſimili, & cane generantur: nec non in avibus ſalacioribus idem fieri viſum eſt, ut perdicibus, & gallinis. Quin etiam aduncorum accipitres ſpecie diverſi coire putantur: idemque in nonnullis alijs avibus evenire animadverſum eſt. In marinis nihil adhuc exploratum habemus dignum memoratu; qui tamen* Phinobati *appellantur, gigni creduntur ex ſquatina, & raja. Ad hæc quod de* Africa *in proverbio eſt, ſemper aliquid novi* Africam *afferre, propterea dicitur quod diverſa etiam genera coëant:*

[a] 2. de gen. an. cap. 5.

nam ob aquæ penuriam terræ illius, vel etiam alienigena libidine copulantur, quum in loca paucissima rigua congregentur. Sed quum cetera sic orta rursus inter se coëant, generareque possint: genus unum mulorum sterile est; quippe quod neque secum, neque cum aliis junctum generet. Hæc *Aristoteles.* Qui quum statuat diversi generis animalia coïre, ac prolem suscipere; dummodo nec eorum natura multùm distet, nec magnitudo sit valdè dispar, nec tempus graviditatis inæquale admodùm: non de monstroso partu; sed de novis animalium speciebus, ut de Mulis edisserit: sin autem natura coëuntium animalium valdè dissideat, & magnitudo sit non parum dispar, graviditatisque tempus evidentur inæquale; raro quidem prolem suscipient, sed eam frequentissimè suscipient monstrosam varijs partibus diversitatem naturæ parentum referentem: dixi frequentissimè, quia nonnunquam secus evenisse suspicamur ex eo quod asserit *Cælius* In *Cô insula*, rarum dictu, apud veterem autorem fidei integræ se legisse de grege oviario *Nicippi* ovem non ritu naturæ agnum, sed leonem peperisse; nimirum antea compressam à leone, stimulis veneris velut furioso primam sibi obviam feminam feram insiliente: si enim canes cum lupis, vulpibus, & tygride coëunt *Aristotele* autore, [b] *Oppiani*, & [c] *Portæ* observatione; ut latius in opere *De perfecta constitutione hominis in utero* demonstravimus; cur non possit leo cum ove, turgente materia, commisceri? sed frequentissimè ex tam dissimilium coïtu monstra nascuntur variorum animalium partes habentia. Id quod ex ipsomet *Aristotele Paradoxorum secundo* [d] *Plutarchus* se didicisse asserit, *Aristonymum* scilicet *Ephesium* filium *Demostrati* mulieres

[b] 8. hist. cap. 28. 2. de gen. an. c. 4. 5.

[c] 2. mag. nat. cap. 6. cap. 17. lib. 13. cap. 14.

[d] Parallel. 29.

mulieres exosum asinam inijsse; quæ suo tempore filiam peperit formosissimam, *Onoscelin* nomine, quod sonat asininis cruribus præditam. At ex proprio penu depromit ⁎ alibi *Plutarchus* pastorem ex equa centaurum sustulisse in hanc sententiam, *Secundum hæc famulus accedens, iubet, inquit,* Periander *te unà cum* Thalete *venire visum quid rei sit quod modò est ad eum allatum; temerène sit natum, an monstrum sit, atque prodigium; ipse enim valdè videtur perturbatus, contaminari ac pollui eo sacrificium censens. Hæc locutus in domum quandam nos deduxit, unam ex his quæ circa hortum erant: ibi adolescens quidam pastoralis, ut videbatur imberbis adhuc, forma non contemnenda alioqui, explicato scorteo sacculo, monstravit nobis infantem equæ, ut ajebat, partu editum: supernè ad cervices usque & manus humana forma, reliquas partes equinas habentem; ceterum in morem hominum recens natorum vagientem. Ac* Niloxenus *quidem, Dij averruncent vociferatus, oculos avertit.* Thales *autem aliquamdiu in adolescentem intuitus, deinde subridens, ut solebat identidem de arte mecum jocari: Numnam (inquit)* Diocles *lustrationem aliquam molieris, negociumque Dijs malorum profligatoribus facesses, re terribili scilicet atque magna oblata? Quid ni, inquam ego? certè enim,* Thales, *portenditur seditio, atque dissidium, metuoque ne malum in ipsum peneteret matrimonium, ac posteros, quum Dea priore nondum expiata, alteram hanc, ut cernis iræ significationem edat. Ad hæc nihil respondens* Thales, *sed ridens discessit, ac* Periandro *apud fores obviam facto nobis, scitatoque quid videretur de spectaculo isto, omisso me, manum ejus præhendit, & quæ, inquit* Diocles *mandavit, ea tu per ocium perages. Ego autem*

⁎ In conviv. septem sapientum.

autem tibi consulo ut equarum pastoribus non utaris, aut eis des mulieres: visus est mihi Periander *his verbis auditis majorem in modum delectari; nam & risum tollebat, &* Thaletem *amplexus osculabatur*. Ita ergo *Plutarcho* sub persona *Thaletis* ortus est ille centaurus ex equa, cum qua pastor ille adolescens libidine percitus, ob inopiam mulierum, corpus miscuerat. *Delrius* f item, quæ in *Saxoniæ* sylvis semihumana facie capta sunt monstra anno Domini MCCXL. ex nefario hominum, ac bestiarum coitu nata suspicatur; quam monstrorum plurimorum originem censet indubitatam, cui tamen haud assentior. Sic olim bello *Marsico* ex *Alcippe* muliere natum elephantum; quia elephanti eam esse pudicitiam novimus ex historijs, ut cum matre coire nulla ratione adigi valeat; & semel deceptum cum cooperta matre corpus miscuisse, qua detecta ita exhorruit facinus, ut seipsum exanimarit: quin & agens venerem occultissimè latet; quomodo ergo unquam mulierem comprimat? quomodo tam vastum animal cum muliere rem possit habere? quomodo mulier tam immani feræ se subjicere audeat? quomodo compressa pondere molis non suffocetur? minus illi consentiam mulierem *Helvetiam* ex leone masculo leonem peperisse; qua fiducia mulier se leoni supponere audeat? Idipsum dicas de muliere *Papiensi*, quæ cattum edidisse dicitur; quomodo enim felis exillimum genitale mulierem in venerem pellicere potuit? Sed horum origo in superius allatas caussas, ac præcipuè in parentum imaginationem referenda est: Illi autem damus mulieres se canibus supposuisse, & inde monstrum parere potuisse; quod *Romæ* contigisse testatur g *Volaterranus* h *Langius*, & i *Polydorus Virgilius* mulieri

f tom. 1. mag. disq. li. 2. q. 14.

g lib. 24.

h 2. epist. med. c. 9.

i 3. de Prodigijs.

lieri cuidam innuptæ. In hanc ſententiam faciunt, quæ [k] *Caſtanenda* retulit in *Annalibus Luſitaniæ* de filijs ex muliere, ac ſimio natis, mulierem nempe ob quoddam crimen in inſulam deſertam navi deportatam, quum ibi expoſita fuiſſet, eam ſimiorum, quibus fertilis locus erat, agmen circumſtetiſſe fremebundum; ſuperveniſſe unum grandiorem, cui reliqui loco ceſſerint: hunc mulierem blandè manu captam in antrum ingens abduxiſſe, eique cum ipſum tum ceteros copiam pomorum, nucum, radicumque variarum appoſuiſſe; & nutu ut veſceretur invitaſſe; tandem à fera coactam ad ſtuprum; facinus hoc multis diebus continuatum adeò, ut duos ex fera liberos pepererit: ita miſeram (quanto mors optabilior !) victitaſſe per annos aliquot; donec Deus miſertus navim eò *Luſitanam* detuliſſet; quumque milites in terram aquatum ex proximo ad antrum fonte exſcendiſſent: abeſſetque fortè fortuna ſimius; feminam ad inviſos diu mortales accurriſſe, & occidentem ad pedes ſupplicaſſe, uti ſe facinore, & calamitoſiſſima ſervitute irent ereptum; adſentientibuſque, & caſum miſerantibus illis, eam cum ipſis navim adſcendiſſe Sed ecce tibi ſimium ſupervenientem inconditis geſtibus, & fremitibus conjugem non conjugem revocantem: ut vidit vela ventis data, concito curſu de liberis unum matri oſtentat, minatur, ni redeat, in mare præcipitaturum; nec ſegniter fecit, quod minatus: tum recurrit ad antrum, & eadem velocitate ad littus rediens oſtentat alterum, minatur, & demergit: ſubſequitur, donec undæ natantem vicere. Rem totam *Luſitania* teſte notiſſimam, & à Rege mulierem *Vlyſſipone* addictam ignibus, quorumdam precibus vita impetrata, lethum cum clauſtro perpetuo com-

k Lemn. de oc. nat. miraculis.

Mira hiſtoria mulieris à Simio compreſſæ.

Ee mu-

mutasse. [l] *Ælianus*, [m] *Plinius* & [n] *Majolus Episcopus* asserit homines cum feris coïre, atque inde gignere monstra. *Saxo* etiam *Grammaticus*, & *Ioannes*, atque *Olaus* [o] *Magnus*, duo fratres, ijdemque deinceps *Episcopi Upsalenses* narrant in *Suecia* puellam ab urso raptam, constupratam ferino concubitu gestasse uterum, & puellum infantem pilosum membris humanis partu edidisse; qui adolescens ex accepta uxore filium genuit nomine *Tregellum Sprachaleg*; à quo *Ulfo* genitus est *Suenonis Danorum Regis pater*; quam historiam fusè superius: fuit autem ursi filio natura humana, & figura, maximè superante vi materni seminis; & imagine concupiti hominis paternam animam vehementissimè percellente. Sic etiam relatu *Delrij* sacerdotis *Ioannes de Barro Pegusianos*, & *Sianitas Indiæ gentes* originem trahere scribit à [p] cane, qui cum muliere corpus miscuerat. Quod autem ipse addit ex diversæ speciei animalibus semper tertiæ speciei animal nasci, non recipio, tum quia ratio dictat si alterius parentis semen longè prævaluerit, fœtum suæ speciei generare similem in essentia, cum accidentibus tamen alterius: sin autem apta proportione citra ullius magnum excessum conjungantur femina, tertia species enascitur; aliàs quidem monstrosa, si parentum essentiæ maximè dissideant, ut homo, & canis, alias verò non monstrosa, si non multùm sit discriminis inter parentes, ut inter equum & asinam, ex quibus enascitur mulus; lupum, & canem, ex quibus Lycisca. Quam sententiam apprimè comprobant experimenta, & speciatim narratio, quam verissimam se *Delrius* adjungere superioribus profitetur inquiens, *In hoc ipso* Belgio *fuit nefarius quidam, qui vaccæ se*

[l] li. 6 c. 41
[m] lib. 7. c. 2.
[n] colloq. 2.
[o] lib. 18. cap. 75.
Delrius notatus.
[p] D. Aug. de Civit. Dei. Torquemad. Horti florid. dial. 1.
Vacca hominem peperit.

ſe commiſcuit: poſt viſa vacca prægnans, & poſt aliquot menſes edere maſculum fœtum, non vitulum, ſed puerum: adfuere non unus, deque matris vaccæ cadentem utero adſpexerunt: levatumque de terra nutrici mulieri tradiderunt: adolevit puer, baptizatus, & inſtitutus Chriſtianæ vitæ præceptis, pietati ſe addixit; & pro patre ſerio pœnitentiæ vacat operibus: homo quidem perfectus, ſed qui ſentiat in animo propenſiones vaccinas, paſcendi prata, & herbas ruminandi. Hæc ille: quibus ſuam ſententiam deſtruit, ſtatuens ex animalibus diverſæ ſpeciei nunquam gigni perfectum animal tertiæ ſpeciei cum alterutro parentum: ſed ſemper novum animal tertiæ ſpeciei: nam verè hominem vacca ex homine peperit: quam hiſtoriam citat etiam

q cap.7. *Riolanus* q inquiens. *Ex vacca quidam nebulo in* Germania *genuit filium formoſum, qui vivit omnino addictus pietati ad expiationem ſui ortus: verùm ſtupet illi animus, & belluinum quiddam redolet.* Quod enim ad cacodæmonis aſtum refert vir inſignis; id voluntarium eſt ejus aſſertum, nulla comprobatione munitum: ſed hac de re mox. His veriſimile redditur, quod vetuſtiores hiſtoriæ teſtantur, *Attilam Hunnorum Regem*, vulgò *flagellum Dei* nuncupatum, ex muliere ortum à cane conſtuprata: humano ſpermate ferinum viribus ſuperante: ſecus ubi æquipolleant, monſtroſa ex utroque parente ſpecies enaſcetur; hac enim ratione veriſimile redditur, quod vulgò fabuloſum exiſtimatur, *Paſiphaën* olim *Cretenſium Reginam* inſano amore percitam intra *Dædaleam vaccam* tauro ſe ſuppoſuiſſe, indeque minotauri monſtrum conceptum peperiſſe. Denique verò & pleraque monſtra, quæ nova ſemper affert *Africa*, ex variæ ſpeciei animalium congreſſu exoriri,

riri, atque adeò nonnunquam ex hominum cum belluis nefaria mistura, id mihi planè persuadet, quod ea regio tum ob aëris calidiorem constitutionem valdè prona est in Venerem; tum ob sordidæ sectæ licentiam, homines à nefario belluarum congressu non abstinent; quod nobis non semel testati sunt insignes viri, qui apud illas gentes plurimos annos vixerunt. r *Ælianus* etiam observavit mulieres iniri r 7. de animal. c. 19.
à cinocephalis, hircis & canibus. Ceterum in animalium genere variarum specierum commistionem veneream esse prolificam (quod plerique negare audent absolutè) præter experimenta, & *Aristotelea* decreta superius allata, una jam ratio è stirpibus deprompta planè demonstrat; quum enim vis generandi communis insit apud f *Aristotelem* omnibus viven- f 2. de an. t. 34. & 35
tibus nostratibus, hominibus, brutis, ac stirpibus ab una, & eadem anima vegetali; profectò si diversarum specierum plantæ coïre quoquopacto invicem possunt ad novorum fructuum propagationem; eadem planè ratione diversis animalibus convenientibus in unum, prolem monstrosam procreari continget vel
Plantarum venus insitio est. *Aristotelis* t observatione: At verò certò constat in- t 2. phys. t. 83.
sitione, quæ congressus est, ac veluti venus arborea, 4. de gen. an. c. 4.
plantas vel natura steriles, alienos tamen à sua natura fructus procreare; de qua pulchrè *Propertius,*

Insitor hic solvit pomosa vota corona,
Quum pyrus inviso stipite mala tulit.

pulchrius *Ovidius,*

Venerit insitio, fac ramum ramus adoptet,
Stetque peregrinis arbor operta comis:
Cultus & in primis succos emendat acerbos,
Fissaque adoptivas accipit arbor opes.

pul-

v 2.Geor. Versu 32. pulcherrimè omnium Syrenophœnix ille v *Virgilius*,

Et sæpe alterius ramos impune videmus
Vertere in alterius, mutatamque insita mala
Ferre pyrum, & prunis lapidosa rubescere corna.

Versu 69. & paullò post,

Inseritur vero ex fœtu nucis arbutus horrida:
Et steriles platani malos gessere valentes,
Castaneæ fagos, ornusque incanuit albo,
Flore pyri: glandemque sues fregere sub ulmis.

Si ergo ex tam diversi generis plantarum commistione fructus enascitur; quinimmo si arbor sua natura sterilis, accepto in se fœcundæ stirpis seminario principio per insitionem, fructus ex eo producit, quidni ex animalium diversæ speciei congressu fœtus edantur? Arbor sua natura sterilis ut fructus edat

CAP. LXIX.

Dubitationes propositam theoriam urgentes diluuntur, & primò educta ex Aristotele *alicubi negante monstrum fieri ex animalibus diversæ speciei.*

SEd hic nos urgent viri Clarissimi, quorum objectiones præterire, nec ulterius differre possumus ad propositæ monstrorum caussæ confirmationem; ajunt autem plerique a *Aristotelem* apertè negare monstra fieri posse ex animalibus diversæ speciei, quod unicuique animali suum sit nascendi tempus distinctum: sed revera hoc dubium solvit *Aristoteles* multò b prius asserens animalia diversæ speciei habentia tempus graviditatis quoquopacto æquale coëuntia generare; licet quæ valdè inæquale tempus nascendi obtinent, aut nunquam, aut raro admodum, simul congredientia procreent. Nobis deinde hic

a 4. de gen. an. cap. 4.

b 2. de gen. an. cap. 5.

Animali cuique suum esse nascendi tempus.

Animalia diversæ speciei quæ coeant ad prolem.

de monſtrorum natura tractantibus, quorum procreatio rara eſt, non officit eo loco *Ariſtoteles* ea proponens, quæ ſemper eodem modo, vel ut plurimùm eveniunt.

Ex pluribus ſpeciebus ut nequeat unum animal conſtare.

Deinceps autem obſervamus ibi *Ariſtotelem* negare Phyſiognomis duorum aut trium animalium formas in unum monſtrum commiſceri, quaſi plura animalia ſeorſum concepta in unum monſtrum confunderentur; eaque potiſſimùm, quæ diverſa nimium tempora naſcendi obtinuerunt; ac hoc non tollit quominus ex duorum animalium diverſæ ſpeciei coëuntium ſeminibus; quorum tempora naſcendi poſſint eadem eſſe, tertium monſtroſum procreetur, ut homo cinocephalus, centaurus, minotaurus, & id generis:

Monſtrum ex coïtu animalium diverſæ ſpeciei ut oriatur.

Hominis nativitas ut ſit enormis.

quippe hominem novit idem *Ariſtoteles* [c] habere tempus uterum ferendi ſatis enorme; quum enim alijs animalibus ſingulis unicum ſit pariendi tempus; homini uni quamplura ſunt;

[c] 4. de gen. an. cap. 4. inf.

Quibus unicum ſit graviditatis tempus.

Autor ſeptimeſtri partu editus.

quippe quum & ſeptimo menſe (quod mihi contigiſſe à parentibus audivi ſæpius) & decimo naſcatur; atque etiam inter ſeptimum, & decimum poſitis; qui enim menſe octavo naſcuntur, etſi minus, tamen vivere poſſunt: quin & ſapientiſſimus Præceptor *Coſtæus* inſigni edito libello [d] *De tempore partus* docuit homines etiam undecimo, ac duodecimo menſe natos; ut propterea homo cum animalibus variorum generum diverſa geſtationis tempora obtinentibus, æquale tempus graviditatis habere valeat; & proinde ferina venere abutentes homines generare queant.

Homo æquale tempus graviditatis habet cum animalibus inæqualia tempora uteri obtinentibus.

[d] cap. 10. 27. 28.

Alte-

CAP. LXX.

Altera dubitatio Maniliana, *&* Lucretiana *diluitur, negans quid esse nobis commune cum feris, & plantis ad invicem.*

OBijciunt alii nihil gigni posse ex animalibus brutis, & homine; nihilque ex plantis diversæ speciei; quippe concurrentia animantia ad communis sobolis propagationem communem aliquam naturam obtinere debent; attamen & *Manilius* negat nobis esse quid commune cum feris, & [a] *Lucretius* inficiatur è pluribus plantis commistis tertium gigni,

[a] lib. 5.

Propterea quia quæ de terris nunc quoque abundant
Herbarum genera, fruges, arbustaque læta;
Non tamen inter se possunt complexa creari.

cui assentiri videtur apertissimè alicubi [b] *Aristoteles* inquiens non fieri vitem oleoproram, nec oleam vitiproram. Sed hæc refellit ratio, qua primò contra *Manilium* constat apertissimè nobis cum feris esse communem animalis naturam, & animam sensualem, ac vegetatricem, cujus munus proprium est vel *Aristoteleo* [c] decreto generare sobolem. Deinde contra *Lucretium* liquet factum sæpenumero fuisse ut arbor una ramos aleret alios ferentes pyra, nuces alios, & alios poma: quin ut arbor eadem ex malo citrio, aurantioque, ac limonis ramis constitueretur. Certè natura sola non efficit vitem oleoproram, nec oleam vitiproram, ut ait [d] *Aristoteles*; id tamen facit ars, vel natura arti unita in insitione, ars etenim plerumque naturam perficit *Aristotelis* observatione. Sed quid ni dixero sine artis auxilio à natura

[b] 2. Physi. t. 83.

[c] 2. de an. t. 34.

[d] 2. Phys. t. 7.

Homini cum feris quid commune sit.

Ex pluribus plantis commistis tertium gigni.

Ut fiat vitis oleoprora & olea vitipro-ra.

In arboribus nata frumenta.

tura talia in plantis fieri? legimus enim apud *Plinium* [e] in arboribus nata frumenta; quin ex eadem radice germinasse oleam, & ilicem apud [f] *Pausaniam in Arcadicis*: sed hac de re fusè superius; quæ hic nobis frustra repetenda non sunt. Immò verò si vitis, & olea sunt adeò diversæ naturæ, ut in unum jungi nequeant ad tertij constitutionem; sic non omnia possunt omnibus animalia jungi promiscuè ad sobolis procreationem: sed tamen diversæ speciei copulari possunt in venerem, unde sobolem suscipiant, aliàs monstrosè utrosque parentes varijs partibus referentem in substantia, & aliàs citra monstri deformitatem uni parentum in substantia similem, alterius tantum nonnulla retinens accidentia.

e lib. 18. c. 18.

f cap. 5.

Non omne animal cuique junctum prolem procreare.

CAP. LXXI.

Tertia dubitatio viri eximii negantis ex variis speciebus posse quid uni tantum parenti congeneum nasci: exercitatio cum acutissimo Delrio.

ARdua sanè tertia difficultas est, quam vir egregius objicit, negans ex congressu hominis cum bellua aut purum hominem, aut puram belluam ejusdem cum altero tantum parente speciei exoriri, asserens citatis verbis, [a] *Nam ut verus homo ex seminis vaccini materia nascatur, & organica illa dispositio perfecta humani corporis in vaccæ utero & vaccinæ animæ calore, ac virtute perficiatur: id Philosophos omnes mecum arbitror inter* ἀδύνατα *computaturos.* Ceterum ego Philosophorum minimus, doctissimi viri sententiam hac in re accipere non possum; in primis enim sensuum evidentia comprobatum est post nefariam hominis cum vacca venerem, bovis uterum intu-

a Delr. t. 1. mag. disq. lib. 2. q. 14 pag. 331.

intumuisse, ac ex juvencæ alvo exivisse puerum in omnibus hominem perfectum referentem, qui vaccinas propensiones haberet colendi prata, & herbas ruminandi. Philosophi autem omnes in rebus naturalibus, ijsdemque sensui subjectis, à sensuum judicio non discedunt: Quocirca *Plutarchus* Philosophus minimè vulgaris assentit *Agesilao*, cui tertio Italicorum *Fulvius Stellus* à mulieribus animo alieno cum equa rem habuit: quæ suo tempore filiam edidit perpulchram; cui pater *Eponæ* nomen indidit: atque hæc Ethnicis Dea est, equorum procurationem gerens. Deinde verum hominem ex seminis vaccini sola materia non nasci dabimus viro egregio; at si cum vaccini seminis materia permistum fuerit humanum sperma; indidem nasci posse verum hominem non diffitebimur: haud enim magis mihi distant specie homines à canibus, ursis, equis, asinis, ac simijs; quàm platani à malis, castaneæ à fagis, orni à pyris, ulmi à quercubus, arbuti à nucibus, & corna à prunis: si ergo ex materia redundante nutricatui platani, virtute principij seminarij malorum per insitionem platano impacti, possunt mala vera generari: si ex materia orni, virtute principij seminarij pyrorum ornis insiti, pyri flores, ac fructus enascuntur: si ex materia horridæ arbuti, vi principij seminarij nucis insiti, nuces exoriuntur: si ex materia ulmi per insitionem seminarij principij roboris glandes producuntur; ut supra ex *Virgilio* [b] legimus, comprobante experimento: quidni Philosophi omnes arbitrentur ex vaccino semine virtute spermatis virilis illud optimè subigentis posse verum hominem physicè procreari? Immo quum experimento comprobatum sit pueros ab ortu ferino lacte altos in per-

Parall. 29.

Philosophi qua in re à sensuum judicio non discedant.

Homo ut ex vaccino semine gigni valeat.

Ornus ut pyra producat.

b cap. 68

fectos homines adolevisse: atque in *Gallia* speciatim recens natos infantes lacte vaccino pasci; quumque *Aristotele* [c] doctore ex iisdem alamur ex quibus constamus, & quæ materia est nutricationis, eadem sit quæ prius fuit constitutionis: quidni ex vaccino semine, ac sanguine, qui ex utero ad mammas delatus in lac transmutatur, infans humanus vi seminis virilis effici potuerit? deinceps autem organicam illam dispositionem perfectam humani corporis in vaccæ utero fieri posse nil mirum: quia vaccinus uterus aptus locus esse potest, in quo fœtus humanus conservetur, & cujus calore tepido foveatur, & cujus tegmento procul arceantur omnes injuriæ exteriores; aliasque functiones, & usus omnes erga semen, ac embryum humanum edere valeat, nihilominus quàm humanus; ut patet ex iis, [d] quæ alibi de functionibus, & usibus uteri promulgavimus. Demum verò concedentes viro eximio verum hominem in utero vaccino, ex vaccini seminis materia, solo calore animæ vaccinæ, ac virtute non perfici; negamus verum hominem in alvo bovilla ex juvencæ materia seminali, virtute seminis humani, & caloris in ejus portione spirituosa vigentis haud posse constitui; cooperatur quidem virtus vaccinæ animæ virtuti animæ in semine humano existentis; sed tanquam agens secundarium agenti primario: & calor, non quidem animæ vaccinæ; anima enim vel brutalis incorporea substantia est, nulli corporeæ qualitati subdita; sed calor vaccini corporis fovere potest calorem humani seminis, & virtuti formatrici humano semini insidenti ceu instrumentum deservire ad organizandas coporis humani partes, non secus atque calor plantæ ceu organum deservit virtuti formatrici alie-

[c] 2. de ge. c 50.

[d] De perf. const. hominis in utero cap. 23. 24.

Anima incorporea est.

alienorum fructuum insitæ particulæ stirpis diversæ speciei. Et sanè ubi virtute humani seminis ex materia vaccina, seu verius ex mole compacta ex humano semine, ac vaccino tum semine, tum sanguine, conformatum fuerit corpus omnibus membris humanis; quidni dispositæ huic materiei, conceptuique à parente vegetalem, ac sentientem animam sortito, vel *Aristotelis* * decreto, extrinsecus adveniat rationalis anima, quibus prius vegetans, deinde animal, demum efficiatur homo? Hæc ea sunt, quibus à viri doctissimi sententia discedere cogor in proposito.

* 3. de gen. an. cap. 3.

CAP. LXXII.

Distinctè magis explicatur origo humani monstri ex fera nascentis.

QUum possit igitur ex hominis, & feræ nefario congressu fœtus exoriri, ut nuper ostendimus; quia non semper hic fœtus uniusmodi nascitur, sed aliquando solam obtinet patris essentiam; aliquando solam maternam; aliquando utramque simul in monstrosam naturam consarcinatam; & qui masculus homo cum fera femina commisceri potest, & vicissim mulier à bestia masculo subigi; operæ pretium est de horum singulo distinctè agere. Siquidem nefarius homo bestiam compresserit, triplex inde partus enasci potest, unus quidem homo perfectus, & hoc ubi masculi semen exactè femineo dominetur, ac illud ex toto subigat; sic puerum ex vacca genitum nuperrimè vidimus: alter est brutum exquisitè matrem referens, ac nulla ex parte patrem; atque hoc fiet duplici ratione, una est ubi materna

Ex homine feram subigente triplex partus edi potest.

 mate-

materia inepta sit, quæ ab humano semine humanorum membrorum figuram, & naturam recipiat; semper enim quodcumque recipitur per modum recipientis recipitur; & ab eodem agente variæ materiæ varijs decorantur formis, vilior quidem viliori, & præstantior perfectiori; tribuit enim agens materiei non nisi formam quam suscipere potest: ac efficiens caussa licet formam sua præstantiorem nunquam efficere valeat; & in materia disposita suæ consimilem formam producat; impedita tamen à materiæ ineptitudine formam sua viliorem in ea progignit: quare semen masculi hominis ex materia brutali, quæ ad humanos artus induendos, & ad animam vegetalem, ac sentientem humanæ partem, ac rationali associabilem subeundas inepta sit, ferina membra maternis consimilia, potissimùm cooperante anima feræ, format, illisque indit vegetalem, ac sentientem animam, quæ imperfectioris notæ est, quàm ut possit rationali subjici, sed specificæ brutali subjicibilem. Altera vero ratio, qua ex humano semine in utero feræ fera matri similis ex toto constituitur, ac patri dissimilis, est paterni seminis imbecillitas, quæ quum nequeat subditam sibi materiam perfectè subigere, cui non indit formam humanam, illi formam conciliat animalis, & speciatim matri similis; quia in efformando fœtu sibi maternum semen cooperatur, quod natura studet constituere quid ei simile, à quo exivit. Sed hi duo partus licet monstrosam habeant generationem, verè tamen monstra non sunt; quocirca eos appellat [a] *Plato* veluti monstra. Tertius verò partus ex homine ac fera genitus, qui utrique parentis effigiem habet in varijs partibus, monstrosus est, ut centaurus ille ortus ex equa à pastore subacta;

Recipitur omne per modum recipientis.

Agens materiei quam formam tribuat.

Efficiens ut sibi dissimile producat.

Ut homo ex fera femina belluam gignat.

[a] In Cratylo.

Ex homine ac fera ut monstrum fiat.

ſubacta; & puella illa cruribus aſininis prædita ex aſina compreſſa ab *Ariſtonymo Epheſio* nata [b] *Plutarchi* teſtimonio, naturæ ſuæ cauſſam habet utriuſque ſeminis in varijs partibus efformandis prædominium, ac materiæ in varijs partibus variam diſpoſitionem; in allatis enim exemplis paternum ſemen partibus ſupernis efformandis à natura dicatum robur habuit, & ſubditam materiam diſpoſitam ad humanas partes induendas; contra partibus inferioribus fingendis deſtinatum, aut materiam ineptam humanæ formæ ſuſcipiendæ reperijt, aut robur non habuit, quo illam exactè ſubigeret; unde animalis membra effinxit, & cooperante matre matri ſimilia.

[b] 7. Sapient. conviv. Paral. 29.

Mulier ex fera triplicem partum edere poteſt.

Sin autem mulier aut ſpontè ſe belluæ maſculo ſuppoſuerit, aut vim à bellua patiatur; trium formarum partus edere poterit; nempe vel perfectum hominem, ut virgo illa in *Suevia* ab urſo compreſſa; vel puram belluam pariet, ut *Luſitana* mulier à ſimio vim paſſa; vel tertiò monſtrum utriuſque parentis formam retinens, ut mulier cani ſe turpiter ſubjiciens, quæ puerum ſemicanem peperit. Porro mulier ex fera feram patri ſimilem nullo negocio concipere, ac parere poterit; maſculeo ſemine optimè femineam materiam ſubigente. At difficilius eſt mulierem ex urſo, aut cane hominem integrum parere; id autem fieri poterit, ſi muliebris materia exactiſſimas habens ad humanam formam propenſiones, & muliebris ſeminis pars ſpirituoſa, in qua vis activa reſidet, robuſtior fuerit, quàm ſemen maſculeum tunc enim conjuncti ex maſculeo, & femineo ſemine pars ſpirituoſa ob prædominium virtutis humanæ hominem poterit efformare; quod facilius adhuc efficietur, ſi pater concumbens alta imaginatione defixam habuerit

Mulier ex fera maſculo ut feram concipiat.

Mulier ex fera ut hominem concipiat.

 hominis

hominis effigiem; ut parest feras habuisse, quæ quasi naturali feritate deposita mulierum, earumdemque formasarum amplexus expetiverunt, & exercuerunt.

Mulier ex fera ut monstrum utriusque parentis effigiem habens pariat.

At verò mulierem ex fera monstrum in se humanas, & ferinas partes obtinens concipere, ac parere ideo contingit, quia in quibusdam partibus efformandis maternum semen paterno prævaleat; in aliis vicissim paternum materno prædominetur in materia subigenda: sic planè in semicane mulieris, & canis filio: partes supra umbilicum humanæ, inferiores caninæ fuere, quia seminis portio supernis partibus efformandis dicata materiam habuit digniorem, & partem spirituosam, in qua vis activa residet, magis robustam, quæ à materno semine defluxit, patrisque coëuntis imaginatio à subditæ feminæ vultu, ac membrorum superiorum vehementius imagine commovebatur: ex adverso spermatis portio partibus infernis constituendis inserviens inepta fuit, quæ formam humanorum membrorum indueret, habuitque paterni seminis substantiam spirituosam robustiori vi præditam, quàm materni. Idemque judicum feras de aliis in eodem genere monstris variarum specierum animalia referentibus. Ceterum fieri etiam potest ut femina bellua ex homine puerum, & ex fera super incubante hinnulum concipiat; qui duo fœtus ob uteri angustiam in unum monstrum copulentur:

Mulier ut monstrum ferinum pariat.

Id ipsum statuas de muliere, quæ humanum, & ferinum concubitum passa sit; ex homine siquidem hominem concipiens, & ex fera belluam, utroque fœtu ob angustiam uteri in unum coagmentato, monstrum denique pariet; ita profectò genitus esse potuit partus ille monstrosus, quem anno Domini DCCCLIV mulier edidit, specie videlicet hominis, & canis integerrimè

tegerrimè corporibus conjunctis, dorso connexis ac dorsi spina solidissimè conglutinatis. Sed & hac ratione gigni etiam poterit citra gemellorum copulationem monstrum quibusdam partibus humanis ab hominis masculi semine constitutis; & quibusdam ferinis à bruti masculi spermate formatis, sive in utero mulieris, sive in alvo belluæ feminæ; quando & mulier, & bestia femina seorsum possunt deinceps hominis masculi, & bruti animalis venerem perpeti. Tot ergo modis contingit ex variæ speciei seminum commistione monstra variorum animalium partes habentium physicè procreari.

Iterata variorum venere ut monstra fiant.

CAP. LXXIII.

Undecima caussa, & origo monstri, variæ speciei animalium partes habentis, ex Cacodæmonis opera elicitur.

UNdecimam, & postremam caussam orginis humani monstri varias brutorum figuras variis partibus æmulantis in Cacodæmonem referre voluimus cum viris egregiis; at verò multò plures modos quàm illi pronunciaverunt esse censemus, quibus vi Dæmonum monstra contingant: in primis enim potest perfectus fœtus à parentibus ortus vi Dæmonis illudentis conspicientium sensus monstrosus apparere ut enim præstigiis homo videbatur sibi, & aliis figuram ª asini induisse; sic nullo negocio potest infans variorum animalium membris compaginatus apparere, malo Dæmone aspicientium sensus illudente. Deinde potest Dæmon idem malus aliunde sublatum monstrum aliqua ex propositis caussis enatum

Dæmonis astu multifariam possunt monstra fieri.

Homo præstigiis in asinum mutatus.

ª Maiol. colloq. 2.

Monstrum suppositum.

Monstrum ut constitui physicè queat opera Dæmonis.

tum parturienti clandestinè supponere, vero partu ablato, aut ficta graviditate. Deinceps potest Dæmon monstri constitutionem promovere applicando, ut dici consuevit, activa passivis, nempe singulas antea propositas monstrorum caussas in uterum afferendo; nam vi Dæmonis, permittente Deo, potest tum generatrix, ac efformatrix virtus in semine degens adeò in quibusdam partibus enervari, ut similem parentibus fœtum constituere nequeat: tum seminis natura aliqua ex parte in viliorem essentiam deturbari, quæ non nisi animantis imperfectioris membra constituere apta sit: tum materiæ fœtus partes aliquæ ineptæ reddi formæ ejusdem speciei cum parentibus: tum virtus fœtus altrix labefactari ne possit alimento partibus applicato earum figuram conciliare: tum materies alimentaris iis dispositionibus aliqua in parte privari, quæ necessariæ sunt ad induendam effigiem membrorum, quibus applicatur: tum in corpore fœtus morbus induci, quo ejus effigies in ferinam deformetur: tum imaginationi parentum ejusmodi spectrum altè infigi, quo monstrosus fœtus enascatur: tum in uterum feminæ variorum animalium semen prolificum latenter infundi, quorum mistionem nuper novimus hujusmodi monstrorum caussam existere: tum etiam in alvo gravidæ animantis semiformato fœtui adjungi aliunde susceptum ex utero feræ semi effictum catulum, & humano conceptui conglutinari in monstri constitutionem. Cujus quidam monstri caussa efficiens propriè physica est; Dæmon autem minister est, atque artifex apponens activa passivis, ingerens dispositionem, removens, aut adducens impedimenta, solùm motu locali monstrorum caussas agitans. Tot ergo sunt Monstrorum

Monstra progignit Dæmõ solo motu locali caussarũ physicarum.

ex

ex varijs partibus diverſa diſſimilium animalium in eodem genere membra referentibus origines, & cauſſæ phyſicæ.

CAP. LXXIV.

Monſtra multiformia fuiſſe conſtructa ex partibus referentibus animantia diverſi generis.

REperiri etiam in rerum natura monſtra, quæ partes habeant referentes membra animalium diverſi generis, ex ijſdem hiſtoricis manifeſtè conſtat: voco autem animalia diverſi generis, quæ non communicant eodem genere proximo: & ſunt in quatuor claſſes diſtributa, aves, piſces, terreſtria perfecta, & inſecta. Nam apud * Ælianum legimus, *Sphingem*, quicumque vel picturæ vel plaſticæ operam dant, fingere alatam ſolent. Ceterum apud *Clazomenios* ſuem alatum exortum fuiſſe auditum eſt, qui *Clazomenios agros* vaſtaret: quod quidem ipſum in libro de *Clazomeniorum* finibus *Artemon* confirmavit; unde illic locus decantatus, *Sus alatus* nominatur. Id quod ſi cuipiam fabula videatur, non prohibeo: ego quod de animali dictum ab alijs non ignorabam, non invitus retuli. Sic ad verbum *Ælianus*. Multò poſt *Gualtherius* cum *Rubeaquenſe* fatetur in *Thracia* ex muliere natum eſſe puerum, qui oculis, palpebris, & ſupercilijs caruit; manibus inſuper, & brachijs; cui ad coxendices cauda piſcis innata dependeret: quod monſtrum ubi *Mauritius Imperator* vidit, interfici juſſit, gladiumque ſtatim eſt oſculatus; mater autem monſtri, quia nihil in eo gignendo peccaverat, abſoluta eſt. Me-

* 12. de ar.im.cap. 38.

Anno Dñi. 601.

minit hujus monstri etiam [a] *Riolanus*. In *Germania* propè *Lauffenburgum* oppidum in finibus *Hel-* [a] De monst. cap. 7.
1274. *vetiorum* ad Rhenum fluvium situm, natus est infans manibus, & pedibus anserenis, horrendo capite.
1512. *Ravennæ*, quod observat etiam [b] *Paræus*, & *Rueffus*, [c] natum est monstrum cornu in summo capite gerens, duabus alis instructum, carens brachijs, unico insistens pede rapacium avium simillimo, in genu oculum habens, duplici sexu præditum, ceteris membris homo: hujus meminere quoque *Ioannes Multivallius*, & *Gaspar Hedionus*.

[b] Lib. 24. cap. 1.
[c] lib. 5. de concepto cap. 3.



Licet huic monstro duo fuisse capita scripserit *Marcellus*


* Lib. 2. *cellus Palonius* * *Romanus*, agens de clade *Ravennæ* his versiculis.

„ *Hoc fama horrendum, sed re deformius ipsa*
„ *Monstrum erat, ah nimium, quod te pernicibus alis*
„ *Aggreditur, cornuque solo prosternit, itemque*
„ *Bina tuæ excidia hæc cervici imponit; & ecce*
„ *In tua supremas convertit funera flammas.*
„ *Nec generi ferro indulget, ruit omnis ab uno*
„ *Sexus, &* Emathios *cognato sanguine campos*
„ *Strata virum, pelagus transmissa cadavera complent.*
„ *More ratum, humano saturatos funere pisces*
„ *Cana* Thetis, *nantesque horrent* Nereïdes *undis.*
„ *Hæc Divum monitu fuerunt documenta ruinæ*
„ *Monstra* Ravenna *tuæ; quam nunc tu mœsta dolensque*
„ *Præsentem defles, quondam decorata triumphis.*

Ubi in margine Libri hæc leguntur.

„ *Explanatio monstri* Ravennatis, *alis*, *cornu*, *gemino capite*, *flammis*, *utroque sexu*, *& hominis piscisque forma insigniti.*

d lib. 24. cap. 7. *Paræi* [d] testimonio in Bosci Regis Paroecia, in *Biera* sylva via ad fontem *Bellæ aquæ* natus est puer 1517. faciem ranæ obtinens: Visus est *Ioanni Bellangerio Machinariæ Regiæ Chirurgo*, coram *Harmoij* oppidi Iustitiæ custodibus, ac in primis *Ioanne Bribono* ejus loci procuratore regio: monstri pater fuit *Amadæus Parvus*, mater *Magdalena Sarbucata.*



1544. Sed *Argentinæ* nobilis *Alsatiæ* metropoli orta est puella horrendo, atque in superiori parte aperto planè capite, lato ore, bovinis oculis, & naribus aquilinis. *Stetini* ortus est infans habens in vertice massam carnis referentem imaginem testudinis rufæ; in cervice caudam carnosam instar muris, sed albescentem, qualis erat cutis sine pilis; capite fuit *Thersitico*; ejus meminit etiam *Fincelius*. Et prima harum figurarum exprimitur.

Pa-




e lib. 24. cap. 2. *Paræo* e autore *Antverpiæ* uxor *Michaëlis* cujuſdam, qui operam *Chalcographo* locabat, commorantis apud *Ioannem Molinum* ſculptorem, ad inſigne pedis 1571.
aurei, monſtrum peperit canis prorſum effigie, niſi quod cervice eſſet breviore, capite verò avis, ſed implumi: vitæ exors fuit, quòd mater ante tempus peperiſſet. Ejuſdem f relatione aliud monſtrum medio, intimoque in ovo compertum eſt, caput nempe facie humana, ſed capillitio colubris undique horrente; mentum ipſi tribus aliis colubris vibratis veluti barba germinabat: conſpectum eſt *Auguſtoduni* in ædibus *Bancheronis* cauſidici, dum ancilla ova

f lib. 24. 1. 2.

 multa

multa frangeret butyro incoquenda: ovi illius albumen feli exhibitum repentinam mortem intulit: Id monstrum in manus *Baronis Senecij* quum venisset, ad *Carolum nonum Regem*, *Metis* agentem, perlatum est.



Ad hoc genus monstri refertur & illa mulier *Aretij*, è cujus naso spicæ farris natæ sunt *g Iulij Obsequentis* testimonio. g De Prodig. cap. 109.

Dantur itaque monstra ex membris diversi generis animalium partes æmulantibus constituta.

C A P.

CAP. LXXV.

Monſtri humani membra viliorum animalium habentis origo, & cauſſa prima in apparentiam refertur.

AT verò monſtrum illud longè turpius, quod ex membris animalium diverſi generis, perfectorum ſcilicet ac imperfectorum; ſive aëreorum, ac terreſtrium; ſive aquatilium, ac terrenorum, ab ijſdem ferè cauſſis exoriri poſſe videtur; quæ ſigillatim breviter ſunt percurrendæ. Profectò ex Phyſiognomicis habemus pleroſque homines naſci capite, ac facie, ac unguibus avium conſimiles partes referentibus; quorum meminit *Ariſtoteles in Phyſiognomicis*, & poſt eum ejus diſciplinæ cultor eximius *Joannes Baptiſta Porta*: quorum ſanè hominum partes allatæ aliquando adeò diſtant ab humana figura, & adeò ad volucrum imaginem accedunt, ut vulgo, res non ita ſubtiliter intuenti monſtra eſſe putentur, ac prædicentur. Quin & Hiſtorici ſuperioris ætatis hac in re vel vulgi famam ſecuti, vel cum vulgo non ita diligenter hominum membra diſpicientes, quod primo aſpectu ſibi monſtrum viſum eſt, poſteritati ſcribentes, verè monſtrum eſſe tradiderunt; quod tamen vulgi placitum viris clariſſimis de rei natura imponere non debet.

Monſtra vulgi.

Hiſtorici qui vulgares opiniones hauſerint.

CAP. LXXVI.

Secunda monſtri diverſi generis origo, & cauſſa ex imbecillitate virtutis generantis colligitur.

SEd veri monſtri diverſo genere contentorum animalium partes habentis altera cauſſa eſt imbecil-

becillitas virtutis efficientis fœtum, quæ in parte seminis spirituosa degit; quum autem triplex sit hujusmodi virtus, generativa, quæ materiæ conceptus tribuit esse specificum, separativa, quæ partes materiæ conceptus varijs membris constituendis destinata prius absque ordine in unum confusas segregat, & suis quasque locis collocat; & formativa, quæ singulis partibus materiæ ritè collocatis propriam determinatorum membrorum figuram impertitur: sanè quæcumque harum virtutum adeò imbecilla fuerit in aliqua parte conceptus, ut perfecti animalis attributa illi nequeat impertiri, ei conditiones partis animalis imperfecti communicare cogitur. Ac ut speciatim primo loco de vi generante agamus; proculdubio quemadmodum in quibusdam viris principibus vi morbi adeò labefactata est virtus illa, cujus est in nutricatu alimento formam substantialem partis alendæ communicare, atque adeò ex alimento carnem generare; ut alimentum etsi suapte natura probum in vermes, ac pediculos convertere cogatur miserè hominem enecantes; quod accidisse legimus apud [a] *Aristotelem*, & [b] *Plinium Alcmani Poëtæ*, *Pherecidi Syro*, & *Syllæ Dictatori*; eadem ratione in fœtu contingere potest, ut virtus generativa crurum, exempli gratia, adeò langueat, ut eam materiam in humana crura convertere non valens, in serpentum, aut anguillarum, aut piscium extremitatem convertere potuerit; cujusmodi originem habere potuit monstrum *Erichthonio* simile, cui ortum asserunt antiqui ex *Vulcano*, & *Minerva*; & certè quum claudus esset *Vulcanus*, pars seminis crurum genitrix ab ejus cruribus originem trahens, adeò imbecillis esse potuit, ut citra figmentum *Erichthonium* pro-

Seminis virtus fœtum constituens triplex.

Vis generatrix imbecilla ut monstrum pariat.

Homines insignes pediculis enecti.

Ortus *Erichthonij*.

[a] 5. Hist. cap. 31.
[b] Lib. 7. cap 43. & lib. 11. cap 33.

procreare valuerit: licet non negem prisci illius *Erichthonii* ortum esse potuisse figmentum.

CAP. LXXVII.

Tertia monstri diversigenei origo, & causa in debilitate formatricis reponitur.

SIn autem ea virtus in parentum semine debilis extiterit, ad quam ex officio pertinet determinatorum membrorum configuratio; & ita debilis, ut materiæ certis membris constituendis destinatæ conformationem perfecti animalis tribuere non possit; efficiens quod potest imperfectioris animantis figuram illis partibus impertitur: atque hac sanè ratione mulier illa *Thraciæ* anno Domini DC I. puerum generare potuit adeò monstrosum, ut ei oculis, & brachijs carenti, ad coxendices cauda piscis innata dependeret: quod monstrum *Mauritius Imperator* interfici jussit, matre nullius criminis reatum habente nihil molestata.

Vis formativa debilis ut monstra constituat.

CAP. LXXVIII.

Quarta caussa, & origo monstri multigenei ex imbecillitate virtutis separatricis deducitur.

QUotiescumque verò contigerit in spirituosa parte seminis eam virtutem languidam esse, quæ discernendis portionibus materiæ, variorum membrorum formam accepturis dicata est à natura; separatrix illa vis suo munere in quibusdam partibus non functa, ut puta in digitis aut manuum, aut pedum, fœtum humanum producit pedibus anserinis, ac manibus anatinos pedes referentibus: cujusmodi

Vis discretiva debilis ut monstra efficiat.

monſtrum enatum ſcimus Anno Domini M C C L X I V. propè *Lauffenburgum.* Sin autem tres iſtæ virtutes ſimul imbecillitatem contraxerint ; omnes opus ſuum non integrè obeuntes, monſtri deformioris cauſſa eſſe poterint, ac ſanè ob harum omnium virtutum imbecillitatem genitum eſſe potuit, quod natum eſt Anno Domini M D X I. monſtrum *Ravennæ*, puer ſcilicet alas brachiorum loco habens, oculum in genu, uno pede nixus, eoque avium rapacium ; & cornu habens in fronte ;

Monſtri Ravennatis origo explicatur



Nam vis generatrix imbecilla humani cruris, ac pedis loco, avis pedem conſtruxit : vis formativa debilis

bilis

bilis alarum figuram brachijs dedit, vis discretiva, & ordinativa languida materiam pedum in duos findere non potuit; oculorum materiæ partem in genu delapsam ad suum locum in capite transferre nequivit; & osseam materiam alteri cruri necessariam de capite ad inferiora trahere non valens, ibi in cornu concrescere sivit.

CAP. LXXIX.

Quinta caussa, & origo monstri multigenij refertur ad seminis degenerationem.

CEterum quacumque de caussa semen parentum aliqua sui portione à natura pristina nimium degeneraverit; multæ siquidem hujus rei caussæ afferri possunt; tantusque sit à pristino statu lapsus, ut ex subdita sibi materia fœtum congeneum omnino constituere nequeat; cogitur aliquas in fœtu partes, quibus construendis portio seminis degener speciatim dicata est, efformare in speciem diversissimi animalis. Sic genita esse potuit femina illa *Argentinæ* in *Alsatia*, cui os latissimum fuit, & nares ad instar aquilæ.

CAP. LXXX.

Sexta caussa monstri poligenij materiæ ineptitudo esse ostenditur.

AT si ceteris caussis benè se habentibus; materiale principium fœtus aliquas portiones habuerit adeò malè dispositas, ut ineptæ omnino sint recipiendæ naturæ aliis congeneæ; quàm possunt re-

cipientes, diversi generis monstrum constituunt; hac ratione ex heterogenea, & contumaci materia gigni potuit monstrum illud *Stetini* ortum in suburbio, anno Domini M D LIV. cui, præter alia multa horribilia, pedes fuere similes unguibus curvis, & aduncis lutræ; & ocelli vitrei, ac renidentes, splendentesque, ut ova lucij piscis; ac loco faciei cincinnus similis pilis felinis.

CAP. LXXXI.

Septima caussa, & origo monstri diversigenei desumitur ex debilitate virtutis alentis fœtum.

Quin etiam ubi aliqua in parte corporis embryonis vis alens adeò labefactata fuerit, ut alimentum membro agglutinatum in substantiam illius plenè commutare nequeat, ex eo jam ad naturam viventis induendam ultimas dispositiones adepto, præ imbecillitate imperfectissimum genus animalium procreat, vermes videlicet, ac serpentes, lumbricosve, qui crescentes, & altera parte fœtui adhærentes, monstrum diversigenium constituere possunt, puerum scilicet anguibus hirtum, aut capite *Medusæ* instar, aut alia corporis parte: si namque in alvo puelli jam nati vermes longiores exoriuntur nonnumquam ex non maligna materia, nec putri, nec ortu spontaneo: quod ex eo patere potest unicuique, quia non rarò scatentes in alvo vermibus homines nihil perpetiuntur, non tormina, non febres, non alia symptomata, quæ vermes è putri excrementorum colluvie sponte genitos consequi consuevere; si inquam in partibus internis humani corporis ex benigna materia oriuntur vermes; quia nutrientis

Puer *Medusæ* capite ut gigni valeat.

trientis

trientis animæ vis aſſimilatrix nimium languida præparato alimento nequit formam perfectioris animalis impertiri; ſed inſecti naturam indere cogitur innoxios vermes procreans: quid ni ejuſdem generis vermes producere valeat in ſubſtantia carnium ad corporis ſuperficiem poſitarum? quod ubi contingat, exertis capitibus ex cute ſerpentibus, reſidui corporis extrema parte carnium ſubſtantiæ conglutinatis, & nutricatione adauctis, monſtrum diverſigeneum exorietur.

CAP. LXXXII.

Octava cauſſa, & origo monſtri diverſigenij ex inepto partium alimento educitur.

At verò ſi alimentum, quo fœtus enutritur in utero, ſive ob permiſtionem tetri alicujus vaporis, humorisve, ſive ob propriam intemperiem, ineptum ſit, cui ab alente anima, quamvis robore polleat, perfecti viventis natura concilietur; ab ea imperfecti animalis, ad quam ſolam propenſum eſt, naturam ſuſcipit; quod animal ſi quapiam ex parte corpori fœtus adhæreat, monſtrum conſtituet diverſi generis animalium membra turpiter obtinens. Non alia ſanè ratione [a] *Strabonis*, ac *Diodori* [b] *Siculi* teſtimonio *Æthiopes*, qui *Silli* appellantur, locuſtis viventes à pravo alimento id patiuntur, ut ex eorum corporibus erumpant vermes, à quibus ij miſerè depaſcuntur, infelicem vitam infeliciſſima nece terminantes

Sillorum vita, & mors miſerrima.

[a] lib. 16.
[b] lib. 4.

CAP. LXXXIII.

Nona caussa, & origo monstri multigenij ex morbo fœtus adducitur.

PUellos in utero multa morborum genera perpeti notum est; Si ergo aliqua portio carnosa embryi putredine concepta occasionem det ortui serpentis, aut ranæ, aut cujusvis alterius animalium, quæ inter insecta numerantur, & spontaneam generationem habere possunt; quemadmodum fit ut quæ spontè nascuntur non rarò unam partem solam animalis absolutam obtineant hærentem alteri materiæ nondum mutatæ; ut de *Niloticis muribus* observat alicubi [a] *Plinius* asserens in *Ægypto*, decrescente *Nilo*, (quod stato quodam tempore fit) exiguos mures reperiri, inchoato opere, genitalis aquæ terræque, jam parte corporis viventes, novissima effigie etiamnum terrena: Quod suavissimè describit [b] *Ovidius*

Sponte orta femigenita.

[a] lib. 9. c. 68.

[b] 1. mem.

Sic ubi deseruit madidos septemfluus agros
Nilus, *& antiquo sua flumina reddidit alveo,*
Æthereoque recens exarsit sidere limus,
Plurima cultores versis animalia glebis
Inveniunt; & in his quædammodo cœpta per ipsum
Nascendi spatium; quædam imperfecta, suisque
Trunca vident humeris & eodem corpore sæpe
Altera pars vivit, rudis est pars altera tellus.

Ita profectò contingere potest ut in corpore fœtus generentur in varijs partibus capita ranarum, caudæ murium, semilumbrici, cohærentes puello in formam horribiliter monstrosam. Hac planè ratione ortum esse potuit monstrum ex puero & serpente com-

Infans caudatus ut oriatur.

compaginatum anno Domini M. CD XCIV. à muliere *Cracoviæ* partu editum; ea etenim fœtum enixa eſt, qui affixum dorſo ſerpentem vivum geſtabat, qui mortuum puellum arrodebat.

CAP. LXXXIV.

Decima cauſſa, & origo monſtri multigenij ex parentum imaginatione hauritur.

CEterum in hoc monſtrorum, varia diverſi generis animalium membra obtinentium ortu, primas tenet parentum vehemens phantaſia; ſi enim matre valdè appetente, aut exhorrente aliquod inanimum, fœtus plerumque naſcitur illius rei ſimulachrum evidentiſſimum in corpore geſtans: quid ni ex parentum, ac matris potiſſimùm affectu vehementi, ac imagine alicujus monſtri, aut variorum animalium ſeu in vigilia, ſeu in ſomno viſa, occaſio tribuatur virtuti formatrici monſtrum efformandi varias diverſorum animalium partes in corpore geſtans? ſic planè cum *Paræo*, & *Bellangerio* putamus *Magdalenam Sarbucatam* (dum febre divexata, mulierculæ cujuſdam conſilio ranam vivam manus palmæ affixerat tamdiu detinendam quamdiu immoraretur parti; ac eo habitu in viri amplexus venerat, atque inde conceperat) ſuo tempore peperiſſe puerum facie ranali. Infans ranali facie ut genitus.

CAP.



CAP. LXXXV.

Undecima caussa, & origo monstri diversi generis ad parentes monstrosos refertur.

NEmini dubium arbitror ex traditis, si puer hic ranali facie ad ætatem adultam pervenisset, mulierisque conjugio usus fuisset, ex ea, licet integra forma, illum consimile sibi monstrum suscipere potuisse: siquidem partes seminis à paterna facie primordialem originem habentes, quum natura semper sibi simile in omnibus procreare gestiat in materia,

Natura semper gestit sibi simile generare.

ria,

ria, ex qua filioli facies constitui debet, facilè consimilem ranæ imaginem delinearent: id tamen necessarium non ponimus; quia materni seminis portio spirituosa, & prolifica, deformitatem paternam corrigere poterit, si vires validas obtinuerit; ac eò magis, quò natura, si non sit impedita, semper de possibilibus efficit quod melius est, [a] *Aristotelis* observatione.

[a] de. an incess. c. 10 1. polit. cap 5.

CAP. LXXXVI.

Duodecima caussa, & origo monstri polygenij habetur in seminum permistione.

QUum inter animantia, quæcumque genere proximo ab homine dissident, præter imperfecta terrestria, volucres sint, & aquatalia bruta; ut nullum fuisse reor unquam veneris congressum ulli hominum cum terrestribus insectis; ita cum marinis animalibus, & pennatorum genere coïtum hominibus esse produnt Historici; nam quum *Venetiis* essem (inquit *Gillius*) quidam *Dalmatæ*, spectata fide viri mihi religiosè testati sunt, se ad oppidum *Dalmatiæ*, *Spalatrum* nuncupatum, vidisse marinum hominem, qui se spectantibus summum terrorem injecit, quum se in terram incitavisset, ut mulierem quæ circum littus tum versabatur, corriperet; verùm ubi eam fugere perspexit, statim ad mare regressus imam maris sedem petivit: eumdem mihi descripserunt hominis omnino speciem, similitudinemque gerere. Itemque magna fide homines, qui ad mare rubrum per multùm temporis versati essent, sanctissima asseveratione

Homines cũ marinis belluis coïvisse. Marini hominis historia.

Ii tione

tione mihi affirmarunt illic marinos homines sæpe capi solere; quorum durissimis pellibus calceamenta tam robusta conficiant, ut ad quindecim annos durent. In navigatione *Hamburgensis* cujusdam, peracta anno Domini M D XLIX. è *Portugallia* meridiem versus in orbem novum, legitur reperiri pisces in aquis humana specie in utroque sexu, cauda tamen oblonga squamis piscium obsita, cruribus brevibus juxta caudam prominentibus, faciem ab humana parum deflectere. *Ioannes Baptista Ramusius* [a] in præfatione ad navigationem *Hannonis Cartaginiensis* testatur in *Africano* littore à *Lusitanis* inventum fuisse cadaver magnum ab undis ejectum, manibus, pedibus, totoque corpore homini omnino simile, nisi quod totum squamis tegebatur, capilli ut filamenta subtilia summam ob duritiem rigebant. [b] *Alexander* item *ab alexandro* quum hominis marini, & *Nereïdum* mirabiles historias exposuisset, subdit, sed super omnia nostro ævo haud absimile factum comperimus in *Epiro*, profectò exemplum inter pauca memorabile, quod nonnulli prodendum posteris putarunt, & actis quoque publicis testatum est: Ad fontem jugis aquæ, ad quem mulieres ex oppidulo aquatum ventitabant, *Tritonem*, seu marinum hominem è spelunca, quam fortè ibi nactus fuerat, observare solitum si quando solam ad aquas accedentem, aut per littus ambulantem mulierem videret, ipsum ex undis, & spelunca leni gressu, tacitisque vestigiis desilire, & à tergo accedere, ac vi compressam mulierem ex insidiis adoriri, & ad mare concubitus caussa arripere, arreptamque sub undis deferre consuevisse: quod quum apud loci incolas percrebuisset, diligentius

Pisces humana facie.

Tritonis historia.

[a] t. 1. navi. q. 114.

[b] 38 geni. dier.

tius marinum hominem obſervaſſe; & quum diutulè laqueos illi intendiſſent, haud multò poſt dolo captum, & laqueis vinctum cepiſſe: quumque cibo abſtineret, extra aquas diutius vivere nequiſſe; ſqualoreque tandem, ac tædio ad extremam tabem veniſſe. Tenet fama venereos eos, & flagrantiſſimè mulierum amaſios eſſe: propterea oppidi incolas edicto inhibuiſſe ne qua deinceps ad fontem mulier niſi viris comitata accederet. Hæc nos, & hujuſmodi ab his, qui diverſa maria pererrarant, & eadem monſtra placidis aquis colludentia vidiſſent, & in occurſum nautis exertis capitibus ab undis accurriſſe, & voces audiſſe referebant, plerumque accepimus. *Baptiſtæ* quoque *Fulgoſii* relatu *Eugenio IV.* Pontifice apud urbem *Sebenicum* in *Illyrico* captus eſt marinus homo, qui ad mare puerum trahebat: is à currentibus, qui rem aſpexerant, lapidibus, fuſtibuſque vulneratus in ſiccum retractus eſt, hujus effigies penè humana, niſi quod cutis anguillæ ſimilis erat, & in capite duo parva habebat cornua; manus quoque duorum tantum digitorum formam exprimebant: pedes autem in duas veluti caudas finiebantur, à quibus ad brachia alæ, ut in veſpertilione, extendebantur. Denique *Bellonii*, [c] *Cardani*, & aliorum relatione in lacum quemdam *de Purmer* per inundationes maximas (poſt ſævas maris tempeſtates) delatum piſcem mulierem, captumque, & ad *Edam* ejus regionis urbem deportatum *Cornelius Amſtelodamenſis* ſcripſit; cui ad muliebria munera exequenda promptitudinem quamdam fuiſſe recenſet (mutam, & ſalaciſſimam fuiſſe *Cardanus* aſſerit) atque aliquot poſt annos cum ejus loci mulieribus vixiſſe; ſed nunquam loqui potuiſſe. Næ ſi hanc

Hominis marini cornuti hiſtoria.

[c] De varie.

Piſcis mulieris hiſtoria.

marinam feminam ab homine impleri aut à *Tritone* supradicto mulierem aliquam gravidam fieri contigisset; monstrum humanum marinas partes, piscisque membra obtinens oriri potuisset.

CAP. LXXXVII.

Decima tertia caussa originis Medusæi *capitis in ovo gallinæ.*

Medusæi capitis in ovo comperti generatio.

DIfficillimam explicatu fateor originem *Medusæi* capitis, adeòque monstri ex humano capite undique capillorum loco, & barbæ anguibus horrente, quod in ovo gallinæ compertum legimus ex *Paræo*; nisi enim hominem ad eam dementiam pervenisse dicamus; qui gallinæ venere abusus fuerit; humano semine partim corruptione venenatorum animalium naturam adepto, partim viribus integris in capitis humani formam efformato: scimus enim venenum fieri semen retentum; & ex eo putrido, ac veneni naturam quoquopacto habente serpentes fieri mirum non est: venenatam verò substantiam in ovo illo inclusam fuisse docuit experimentum, quo constat ovi ejus albumen feli exhibitum repentinam mortem intulisse. Dicere poterimus gallinam, quippe animans est ejus conditionis, ut fœda quæque in terra comperta devoret, nec ab anguibus vivis abstineat; gallinam inquam fortè alicubi terræ nuper impactum virile semen devorasse, menstruum sanguinem, ac serpentis ova comedisse, gallove rabido succubuisse; quo factum est ut inter cetera ovum genuerit, in quo fœda hæc omnia contenta caussa *Medusæi* capitis extiterint; à virili semine capite formato; à muliebri sanguine vene-

Semen retentum venenum fieri.

E putrido semine serpentes fieri.

Gallinæ res fædas & venenatas devorant.

nato albumine; & ab ovis serpentinis anguibus effectis; galli semine generationem adjuvante, quo basiliscum fieri fama est. Ac certè tale quid contingere potuisse in gallina non negasset [a] *Averroës* asseverans mulierem balneum ingressam, in quo masculus homo semen effuderat, eo intra uterum attracto, sine coïtu gravidam evasisse: nec alter ille Doctor inquiens filiam cum patre dormientem, illius semine, nocturna pollutione latenter effuso in alvum à matrice attracto, nullo crimine gravidam fuisse: mira sunt hæc, fateor, & rara; sed de monstris agimus, quorum naturam, & miram, & raram esse [b] dudum ostendimus. Monstra enim non essent, si facilè, si frequenter, si citra admirationem exorirentur. Fieri quoque potuit id monstrum à Gallina, quæ semen humanum, menstruumque devoraverit, & serpenti succubuerit; nam gallinas cum viperis, & aspibus coïre, testata mihi fuit *Iulia* famula; quæ dum apud suos degeret, non semel observavit gallinam ab aspide comprimi; cujus ova fota, non pullos, sed parvos excluderent serpentes: eam diluculo egredi è domo ad radicem quercus; ibi crocitatu maritum aspidem vocare; totam diem cum eo commorari; frequenter illi succumbere; ac non nisi sero ad tugurium regredi: seque, ac parentem hujus historiæ testem profiteri. Gallinam ego domi alui quinque digitos habentem in utroque pede quæ post ova multa mediocria, pusillum edidit, infra columbaceum, sine luteo, in cujus albumine serpens, ac veluti vermis erat; in quem luteum mutatum fuisse suspicor; etenim novi Clarissimum virum *Fabricium* ab *Aquapendente* in ovi luteo vermem satis magnum inter comedendum comperisse;

[a] 2 collig. cap. 10.

[b] lib. 1. 1. & seq.

Averroïs mulier ut sine coïtu gravida fuerit.

periſſe; quo mirè ſtomachatus ovorum eſum dilectiſſimum diutius intermiſit.

CAP. LXXXVIII.

Decima quarta cauſſa, & origo monſtri multigenij ad vim mali Dæmonis refertur.

IN his etiam monſtris, membra ex diſtantiſſimo animalium genere obtinentibus, procreandis malos Dæmones, Deo ſummo permittente, cauſſæ rationem habere poſſe probabile eſt; nam eorum opera poſſunt variorum animalium tum ſemina prolifica, tum etiam fœtus in unum uterum comportari, ac turpiter invicem copulari; tum partes variæ configurari; tum cauſſæ ſingulæ dudum à nobis propoſitæ ad monſtri generationem accommodari, non quidem è ſua ſubſtantia quidpiam admiſcentes; ſed ſolùm applicando naturalibus paſſivis activa phyſica, & procul arcendo quæcumque horum actionem: & illorum paſſionem impedire poſſent in propoſito, ſic fortaſſe [a] *Iuppiter* olim, qui Dæmon fuit, Cycni formam indutus *Lædam* compreſſit; unde orta *Helena* guttur olorinum habuiſſe dicitur.

Dæmon monſtrum procreans de ſua ſubſtantia nihil admiſcet fœtui.

[a] 2. Boc. ge. Deor. li. 11. c. 7. & 8.

CAP. LXXXIX.

Monſtri Cacodæmonis effigiem referentis exiſtentia patefit.

DEnique verò aliquando etiam extitiſſe monſtra adeò dira, ut teterrimam Cacodæmonis imaginem præſeferrent, litterarum monumentis conſignatum eſt à variis autoribus; in primis enim *Cornelius* [a] *Gemma*, obſervatione quoque [b] *Riolani*,

[a] 1. Coſmo crit. 6.
[b] cap 4.


lani, testatur in Urbe *Brabantiæ Buscumducensi* monstrum ex muliere natum horribilem Cacodæmonis effigiem retulisse. In *Belgio*, ait *Gualtherius* cum *Rubeaquense*, infans natus est ex honestis, & nobilibus parentibus teter admodum, & horribilis aspectu; flammeis, & radiantibus oculis; ore, naribusque bovinis, cornu figura exertis, ac prominentibus, dorso pilis caninis hispido; simiarum faciebus, in pectore extantibus qua mammarum locus, oculis felium subtus umbilicum hipogastrio affixis, tetris, ac minacibus canum capitibus ad utrumque cubitum, & pedis utriusque patellam antrorsum spectantibus; figura pedum cycni; cauda sursum reflexa, & recurva, longitudine ulnæ dimidiæ; quatuor horas ab ortu vixit. Aliud monstrum parum huic dissimile postea in *Cracovia* natum [c] *Munsterus*, [d] *Cardanus*, & [e] *Rueffus* asseverant, infantem scilicet promuscidem nasi loco gerentem; oculis rotundis, & alatis; auribus asininis; alijs duobus oculis supra umbilicum; cauda muris, sed bifida, & adeò longa, ut caput super excederet; manus, pedesque quaternis digitis ad unguem accipitris simillimis; sed tres membrana, velut anserini colligabantur: sub alis, & intra cubitos, & supra genua singula capita canum prominebant, ut essent numero sex; supervixisse fertur tribus horis. *C. Lycostheni*, in *Marchiæ* villa *Dammenwalde* propè *Witstock*, coloni cujusdam conjunx monstrum quod describit *Fincelius*, edidit: Infans toto corpore fuit spadiceo colore, capite cornuto, oculis crassis, prominentibus, absque naso, patulo ore, quod longitudine spithamæ distentum fuit, in cujus medio lingua candida eminuit, & quadrata; colli expers; *caput enim* scapu-

Anno Dñi. 1543.

1547.

c Cosmog.
d 12. de subtilit.
e 5. de conceptu. cap. 3.

ſcapulis accrevit; corpus totum inflatum, & rugoſum, brachia in lumbis hæſerunt, pedes longè tenuiſſimi: ab umbilico autem ſpecies laxi inteтini dependit ad pedes cacodæmonem referens, ut harum prima figura refert, non minus quàm ſecunda, quæ primum monſtrum præſefert, ac tertia, quæ deſignat monſtrum *Romæ* in *amne Tyberino* inventum M CD XCVI. corpore humano, capite aſinino, cujus manus una humanæ, altera verò elephantino pedi ſimilis erat: pedum alter aquilinos ungues, alter calceum corneum bovinum exprimebat ventrem habuit femineum, mammis egregiè ornatum



totum

totum corpus autem squamis erat undique obductum, excepto ventre ac pectore, circa posteriora habens caput senile barbatum, & aliud præterea instar draconis flammas expuentis. Ita *Lycosthenes*. In eadem serie monstrorum poni debet aliud à f *Paræo* descriptum, dum ait, apud *Subalpinos* in *Quiero*, decem à *Taurino* miliaribus posito oppidulo, Matrona honesta fœtum peperit, cornua quinque sibi adversa, & arietinis similia, capite gerentem; cui præterea à summa fronte ad occiput in dorsum ferè totum prælongum carneum frustum pendebat, capitii muliebris instar habens: circum collum verò alia caro duplex advolvebatur, tanquam collare subuculæ: extrema utriusque manus digitorum uncos rapacium avium referebant; genua tanquam in poplitibus erant: crus dextrum, pesque item dexter rubro colore præfulgebant: reliquum corpus bætico erat colore: magno cum clamore in lucem prodiisse dicitur; quo sic obstetrices consternatæ fuerunt, & reliquæ mulieres clinicæ, ut è vestigio ab ædibus puerperæ se in fugam dederint. De eo monstro quum *Subalpinorum Princeps* resciviffet, jussit id ad se adduci; nec dici potest quàm varia fuerint aulicorum de ipso judicia. 1578.

f lib. 24. c. 4.



Ad idem genus monstri dæmoniformis referendum videtur illud terribile, tum quod C. *Lycosthenes* vitulo monachum appellat, natum Anno M D XXII. Waltersdorfi, uno à *Fribergo* lapide, pago ditionis *Cellensis*, villa rustici cognomento *Steckeri*, *de* quo monstro *Martinus Lutherus*, d. m. libro edito, suam exposuit sententiam: tum quod huic valdè simile *Paræus* ait natum in Secker *Saxoniæ* pago, quaternis pedibus bubulis, oculis, ore, & naribus vitulinis, carneo rubro & rotundo in vertice tuberculo, carnea præterea ex collo in dorsum velut cuculla pendente, lacerisque & discissis femoribus deforme:

forme: tum demum illud, quod corpori muliebri caput horribile habuit cornibus duobus arietinis deformatum, vertice concavo, oculis grandioribus, absque palpebris prominentibus, naso leonino, ore patulo, ac largiter hiante, indeque lingua, auribus magnis ac sine collo, in has effigies.



Re vera igitur in natura compertæ sunt decem à nobis antea ex monstri forma essentiali deductæ monstrorum differentiæ, quæ sunt *monstrum mutilum, excedens, ancipitis naturæ, difforme, informe, enorme, multiplex in una specie, multiformis speciei, multigenium, & diversigenium.*

CAP. XC.

Monstri Cacodæmonis effigiem habentis origo, & caussa prima desumitur ex parentum imaginatione.

POstremo in hoc loco se nobis offert explicanda caussa, & origo monstrorum tetram, & horribilem Cacodæmonis effigiem obtinentium. Et sanè illorum duas arbitror physicas esse caussas; una quidem est imaginatio parentis; nam si mulier coëat cum viro personato Dæmonis imagine; aut si malefica sit ab incubo Dæmone pati assueta sub horrenda illa specie; sciatque, ac putet se cum malo Dæmone corpus miscere; nil mirum si aliquando inde concipiens, monstrum Cacodæmonis effigie pariat: Dæmon enim assumpto sibi corpore, quo venerem sensibilem agat, semen prolificum alicujus hominis defert in uterum feminæ, unde illa vi seminis hominem concipit; sed vi spectri alta imaginatione reposti Dæmoniformem parturit: posse autem mulieres cum incubo Dæmone modò humanam, modò ferinam, modò etiam horribiliorem formam induto congredi, & inde concipere, ac parere vi seminis prolifici aliunde in uterum feminæ comportati, fusissimè probavit a *Delrius*, non reclamante *Platone* in *Cratylo*. Immò verò etiam hujusmodi spectrum animo mulieris insculpi potest ex solo auditu, lectuve de natura, & deformitate Dæmonis; quin & somnians talem imaginem concipere potest animo, qua uteri conceptus deformetur in Dæmonem. Audivi enim à disertissimo *Iulio Guastavino Genuense*, *Torquatum Tassum*, *Etruscam* illam *Phœnicem*

Monstri Dæmoniformis duæ caussæ physicæ.

Dæmon ut venerem cum muliere exerceat.

a mag. disquis. to 1. li. 2. q. 15.

nicem, quo ipse familiariter utebatur, post concilium illud horrendum Cacodæmonum tam bellè descriptum, habuisse in phantasia monstrosas Dæmonum formas tam altè defixas, ut eas ex animo depellere non posset, sed vel invitus in earum recordationem trahebatur, unde tristis etiam incedebat; hincque melancholia illi aut orta, aut certè adaucta est, qua miserè torquebatur nobilis Poëta, certè si femina, ut *Sappho*, extitisset, eaque imaginatione concepisset; vel si vir mulierem implevisset; monstrum Dæmoniforme generare potuisset. Tale quit fortè à tetro somnio contigit honestæ illi matronæ, quæ apud *Subalpinos* monstrum Dæmoniforme peperit; ut supra vidimus apud [b] *Paræum*.

Tassus unde melancholicus.

[b] lib. 25. c. 2.

C A P. XCI.

Monstri Dæminiformis altera caussa, & origo explicatur ex caussis prius adductis.

Altera verò caussa monstri Cacodæmonis effigiem habentis est, quia Dei permissu malus Dæmon in alvo gravidæ partus conceptus transformet in horrendam imaginem, adjectis cornibus, cauda, rapacibus unguibus, & aliis id generis; atque id ut sæpenumero diximus, applicando activa naturalia physicis passivis, ac removendo cuncta impedimenta, quæ intentum sibi opus prohibere valerent: Qua quidem in re nihil ipse de suo ponit; quum sit substantia incorporea, & nullum obtineat accidens materiale; quum tota monstri natura sita sit in corpore materialibus accidentibus affecto: sed solùm naturalia corpora movet de loco ad locum;

Dæmon ut monstra efficiat.

 qui

qui motus est illa applicatio activorum passivis de qua nuper. Et sanè Intelligentiis ab omni materiæ nostratis commerico separatis nullam aliam vim tribuit *Aristoteles*, qua immeditatè agant in substantia corporea, nisi loco motricem.

PERORATIO.

CAP. XCII.

HÆc de physica monstrosi hominis constitutione; immò verò de monstrorum caussis, natura, & differentiis dicta sint: In quibus conscribendis si quid a S. R. E. improbatum effluxit è calamo, id etiam nunc expungo, & non scriptum volo; sin autem quid probis, doctisque viris, ac veritati consentaneum protuli, hoc summo Deo bonorum omnium largitori acceptum referatur: cui decus, & honor sit in perpetuum.

FINIS.

APPENDIX
MONSTRA
Quædam,
NOVA, & RARIORA,
CUM
Satyro Indico, & Muliere Cornuta,
proponens.

APPENDIX
MONSTRA
Quædam
NOVA, & RARIORA,
CUM
Satyro Indico, & Muliere Cornuta,
proponens.

C*Omplementi loco unum atque alterum operi præcedenti addere dum animus, ſumma cura fuit, ea ſeligere, quæ novitate, maximè autem raritate ſe commendarent, ſive ab iis quæ* Clariſſimus Licetus *magno numero proponit, omni modo diverſa fuerint, qualis eſt hiſtoria* Satyri Indici, *&* Mulieris cornutæ *ad monſtra propriè non pertinentium, ſive ad eorum quæ exhibet pleniorem declarationem atque illuſtrationem fecerint. Subminiſtrarunt ea nobis, non quæ per plateas circumferuntur mendaciis refertæ ſchedulæ, ſed virorum in arte Medica clariſſimorum opera, de quibus ut certior eſſet benevolus Lector, non inconveniens cenſuimus nomina eorum, & ſcripta, unde hæc noſtra additamenta deſumpſimus, præfatione noſtrâ operi huic præfixâ in anteceſſum exhibere. Procedemus itaque eo ordine quo loco dicto eadem propoſuimus.*

NICOLAUS TULPIUS

Observat. Medic. Lib. 3. Cap. xxxvij. ita differit.

Partus monstri bicipitis.

INter partûs vitia, ficuti grave, infans in pedes converfus; ἀγριππαν vocant *Græci*: fic graviffimum eofdem pedes effe, vel plures duobus; vel fitu difpares. Quam deformitatis fpeciem obtulit nobis aliquando futoris uxor, quæ paritura biceps monftrum, enixa fuit primùm duos pedes: fed tertius, præter omnem naturæ legem, natibus innatus injecit tantum moræ partioni, ut neceffe habuerit, præter obftetrices, implorare opem chirurgicam, quò, unco ferreo extraheretur è vulvâ renitens hocce monftrum.



Erat

Erat autem id (uti etiàm proponit schema æri incisum) biceps, cum tribus brachiis, totidem pedibus, quatuor manibus, & duabus papillis, natibus utrinque impositis, deforme profectò spectaculum, attamen obstetricibus insigne documentum, opitulandum cuicunque partui, & deficiente manus auxilio, confugiendum maturè ad uncum ferreum, ceu sacram anchoram, & ultimum difficilis partùs remedium. Velut præter *Hippocratem* planius liquet ex latino ipsius genio [a] *Cornelio Celso*.

[a] lib. 3. cap. 38.

Idem *Observat. Medic. lib. iij. cap. xxxviij.*

SEd quid omitterem hîc simillimum monstrum, coram Magistratu in curiâ à nobis dissectum? puellam videlicet bicipitem, cum tribus pedibus,

Dissectio infantis bicipitis.



ſed brachiis quatuor, artubus verò ac capitibus ut ſeparatis à ſe invicem, ſic ventribus contrà ac thoracibus, tam arctè in unum coalitis, ut ne lynceis quidem oculis ullum in illis obſervaſſes diſcrimen. Diſſectâ autem monſtri hujus cute, apparuit conſpicuè (licet pridiè ejus diei lucem primùm adſpexiſſet) ſub illa plurimum albicantis adipis. Jecur erat ipſi duplex, cum duplici fellis veſiculâ, & venæ ipſius tam perplexo errore inter ſe intricatæ ac confuſæ, ut non licuerit quicquam diſtinctè ſaltem in illis notare. Thoraci erant duo corda ſejugata, incluſa tamen uno involucro, & innatantia eidem aquæ, ſed cuilibet ſuus erat pulmo, at in ventre una duntaxat vulva, unuſque lien, ſed is adeò rubicundus & floridus, ut videretur accedere ad naturam jecinoris. Vaſa autem umbilicalia deſinere hinc in diffiſſam jecinoris portam, illinc verò bifido ductu in arteriæ iliacas & veſicæ fundum.

Idem *Obſervat. Medic. lib.* 3 *cap.* 56. Satyrum Indicum *curioſè deſcribit his verbis:*

Satyrus Indicus.

QUamvis extra forum medicum, attexam tamen huic telæ, *Satyrum Indicum*; noſtrâ memoriâ, ex *Angolâ* delatum, & *Frederico Henrico Arauſionenſium Principi* dono datum. Erat autem hic ſatyrus quadrupes: ſed ab humanâ ſpecie quam præ ſe fert, vocatur *Indis Ourang-outang:* ſive homo ſylveſtris uti *Africanis, quoias morrou* Exprimens longitudine puerum trimum, ut craſſitie ſexennem.

Corpore erat nec obeſo, nec gracili, ſed quadrato: habiliſſimo tamen, ac perniciſſimo. Artubus verò

verò tam ſtrictis, & muſculis adeò vaſtis, ut quidvis & auderet, & poſſet. Anteriùs undique glaber: at ponè hirſutus, ac nigris crinibus obſitus,



 facies

facies mentiebatur hominem: sed nares simæ, & aduncæ, rugosam, & edentulam anum.

Aures verò nihil discrepare, ab humanâ formâ, uti neque pectus; ornatum utrimque mammâ prætumidâ (erat enim sexus fœminini) venter habebat umbilicum profundiorem; & artus, cum superiores, tum inferiores, tam exactam cum homine similitudinem: ut vix ovum ovo videris similius.

Nec cubito defuit requisita commissura: nec manibus digitorum ordo: nedum pollici figura humana: vel cruribus suræ: vel pedi calcis fulcrum. Quæ concinna, ac decens membrorum forma, in caussâ fuit, quod multoties incederet erectus: neque attolleret minùs gravatè, quàm transferret facilè, qualecunque, gravissimi oneris, pondus.

Bibiturus prehendebat canthari ansam, manu alterâ; alteram verò vasis fundo supponens, abstergebat deinde madorem labiis relictum, non minùs adpositè, acsi delicatissimum vidisses aulicum. Quam eandem dexteritatem observabat utique cubitum iturus, inclinans quippe caput in pulvinar: & corpus stragulis convenienter operiens, velabat se haud aliter, acsi vel mollissimus illic decubuisset homo.

Quin imò narravit aliquando affini nostro, *Samueli Blomartio*, *Rex Sambacensis*, Satyros hosce, præsertim mares, in *Insulâ Bornæo*, tantam habere animi confidentiam: & tam validam musculorum compagem: ut non semel impetum fecerint, in viros armatos: nedum in imbellem fœminarum, puellarumve sexum, quarum interdum tam ardenti flagrant desiderio: ut raptas non semel constuprarint. Summè quippe in Venerem sunt proclives (quod ipsis, cum libidinosis veterum Satyris commune) imò interdùm adeò

adeò protervi, ac salaces: ut mulieres *Indicæ*, propterea vitent, cane pejus & angue saltus, ac lustra: in quibus delitescunt impudica hæc animalia.

Quæ omnia ut verissimè referuntur de hocce Satyro, sic sanè nihil verisimiliùs, quàm ad ejus imitationem, effictum fuisse Satyrum veterum. Quem lectoribus suis delineaturus [a] *Plinius*, scribit expressè, animal esse quadrupes, in *subsolanis Indorum montibus*, pernicissimum; humanâ effigie, sed pedibus caprinis; & toto corpore villosum; nihil habens moris humani; gaudens sylvarum latebris; & fugiens hominum commercia.

Satyrus Veterum.

a lib 7. cap 3.

A quibus notis, licet aliquantisper discrepet Satyrus beati *Hieronymi*: convenit tamen utcunque, cum figmentis Poëtarum. Erat, inquit, homo naribus aduncis, & fronte cornubus asperâ; desinentibus corporis extremis, in caprarum pedes. Quam eandem formam, expressuri dilucidiùs Poëtæ, appellant Satyros suos lascivos, impudicos, biformes, bicornes, & interdùm, petulantia sylvarum numina.

Satyrus B. *Hieronymi.*

Quæ veterum epitheta, siquidem ad veritatis explores amussim, videbis ipsos non planè errasse. Reperitur quippe etiamnum lascivum hoc animal, in *subsolanis Indiæ montibus:* uti quoque in *Africâ* intra *Sierram Lionam*, & promontorium montis, ubi fortè illa loca, quæ [b] *Plinius* asserit noctibus micare crebris ignibus Ægipanum, Satyrorumque lasciviâ, gaudet confragosis recessibus: fugit humana consortia, neque audit immeritò salax, villosum, quadrupes, speciem humanam præferens: & præditum naribus aduncis.

b lib. 5. cap. 5.

Sed nec pes ipsius habet ungulas: nec frons caprarum

prarum cornua, nedum corpus ubique pilos, ſed duntaxat caput, humerus, ac dorſum. Reliqua ut ſunt glabra, ſic aures nequaquam acutæ, velut perperam finxit *Horatius*, verùm flexuoſæ, &, ut verbo dicam, verè humanæ. In ſummâ, vel nullus eſt in rerum naturâ Satyrus: vel ſi quis eſt, erit procul dubio illud animal, quod in tabellâ hìc à nobis depictum.

JACOBUS BONTIUS

Hiſtor. natur. & Medic. lib. v. ſimilis Satyri hiſtoriam hanc proponit:

Satyra Bontij.

VIdi ego Satyros aliquot utriuſque ſexus erectè incedentes, imprimis Satyram fœmellam, tanta verecundia ab ignotis ſibi hominibus occulentem, tum quoque faciem manibus (liceat ita dicere) tegentem, ubertimque lacrymantem, gemitus cientem, & cæteros humanos actus exprimentem, ut nihil ei humani deeſſe diceres præter loquelam. Loqui verò eos eaſque poſſe, *Javani* ajunt, ſed non velle, ne ad labores cogerentur, ridiculè me hercules. Nomen ei indunt *Ourang Outang* quod hominem ſylvæ ſignificat, eoſque naſci affirmant è libidine mulierum *Indarum*, quæ ſe Simiis, & Cercopithecis deteſtanda libidine miſcent.

THO-

THOMAS BARTHOLINUS

Historiarum anatomicarum rariorum centuriis monstra varia proponit, quorum præcipua sunt

MONSTRUM YSTADIENSE.

Centuria 1. histor. 1. Honesta matrona *Maria Jacobi*, uxor *Jani Jacobi, Ystadi Scanorum* enixa est III. Decembris Anni M DC XLIX. puellam monstrosâ facie. Corona caput cingebat carnea, sanguine plena, in cirrhos intorta, in summo capite clausa mitræ instar. Ex sinistrâ genâ propendebat congeries flavorum pilorum. Aures latæ sed triangulares. In occipite alia corona eminebat huc illuc moveri apta. Frons nulla. Oculi nuces juglandes æquabant, ut à ciliis legi nequiverint. Incurvus nasus, & ad latus alterum intortus. Os rotundum semperque hians, duobus dentibus molaribus ornatum. Vagitu horrendo grandiorem mentiebatur ætatem. Cætera optimè conformata. Testabantur præterea domestici, ante partum vagitum ter edidisse, modò submisso, modò elato sono. Postridie nativitatis exspiravit. De horum fide M. *Andreas Nicolai Ystadiensis pastor*, & Dn. *Jacobus Jani* conceptis verbis testantur. 1649.

FRATER FRATRI ADNATUS.

Centuria 1. histor. 66. *Lazarum Colloredo Genuensem*, *Hafniæ* primùm vidi, deindè *Basileæ* XXVIII annos natum, sed utrobique cum stupore. Fraterculus huic *Lazaro* in pectore erat adnatus, si rectè conjeci, osse Xyphoide utriusque cohærente. Pes sinister solus illi dependebat, duo brachia, tres in manibus singulis tantum digiti. Vestigia pudendarum partium

vel siccus est. Uterque etiam suo nomine ad baptismatis fontem insignitus fuit, major *Lazari*, minor *Joannis Baptistæ*. Naturalia verò viscera ut hepar, lien &c. utrique communia erant. Oculi clausi ferè *Ioanni Baptistæ*, respiratio minor, admota enim plumâ parum movebatur, admotâ verò manu exilem habitum calentem deprehendimus. Patulum ferè illi & hians os, dentibus prominulis, saliva perpetuò ferè madens, caput videbatur solùm omne alimentum in sui augmentum absumere. Prægrande enim & majus quam *Lazaro*, sed deforme, capillis supino situ dependentibus. Barba utrique crevit, sed *Baptistæ* neglecta, *Lazaro* compta. Erat autem *Lazarus* justæ staturæ, corpore decenti, moribus humanis, & ad aulæ morem ornatus. Inducto pallio fratris tegebat corpus fovebatque, nec monstrum intus condi primo alloquio diceres. Animo ubique præsenti videbatur, nisi quod de fato subinde sollicitus, mortem fratris timebat, quod se fœtore & putredine exstinguendum quoque præsagiret, hinc magis in curando fratre quàm se laborabat. Rarissimi monstri effigiem à vero haud abludentem lectorum oculis sisto.

MULIER CORNUTA.

Cent. 1. histor. 78. *Purmerenti* in septentrionali *Hollandia* pauperculi mulier *Margaretha Mainers* degit, quæ viginti retrò annis, ex mœrore prodigi filii tumorem primo in dextra capitis parte supra musculum temporalem observavit, qui in cornu tandem excrevit digitos XII. longum, caprini cornu crassitie, duritie, & similitudine. Ex temporum ferè regione seu



ſincipite emergens reflectitur, incurvaturque, ſurſumque ſummum caput petit, cui ſe mobile applicat, ut commodè vittâ tegi poſſit & occultari. Ad radicem rubet cutis, & prurit, ſique rudius tractetur ſanguinem prolicit. Inter caput & cornu olim vix digitus inſerebatur, nunc totam manum
1646. admittit, quia continuò creſcit. Inviſi eam & ſtudiosè luſtravi, hancque feminæ grandævæ imaginem per pictorem expreſſi.

VARIA

VARIA MONSTRA HUMANA
moderna passim observata.

Centuria 2. Historia 44. *Hafniæ* natum monstrum loco brachii dextri ma- 1650.
nusque pedem habebat informem, duabus eminentiis donatum instar lunæ corniculatæ, in calceis Gallicis conspicuæ. Puellæ *ibidem* prope hortum soceri mei à primis incunabulis unicus est pes, in altero crus deest, quod arteficiali pede supplet.

Vidi alium hîc puerum digitis in dextra manu ca- 1651.
rentem, loco digitorum carneæ aderant portiunculæ exiguæ, unguiculis ornatæ, insensiles. Pollex longior in omnes partes mobilis.

Messanæ in *Sicilia* occurrebat mihi vir consi- 1644.
stente ætate, cui brachii deficientis loco solum os cubiti cum appensâ manu hærebat.

Romæ juvenis mihi visus, cui labium superius ad dextrum latus instar longi rostri dependebat.

Ibidem cuidam nasus adeò fuit magnus & pendulus, ut velut proboscis Africani Galli, hinc inde cum corporis motu commoveretur.

Neapoli mentum dextrum viro adeò tumebat, ut os in medio faciei situm videretur.

Ibidem senex nobis notus, cui manus dextra digitis æqualibus rotunda & globosa erat.

Florentiæ sinistrum brachium homini deerat, cujus locum occupabant tres tantum digiti ex scapulis dependentes. Similis *Neapoli* mihi visus, qui unicum solum digitum vice brachii monstrabat, pro arbitrio ejus mobilem. *Ibidem* in *Hetruria* rustico in occipite bursa carnosa capax enata.

Romæ homini palpebræ inversæ apparebant.

Lugduni Batavorum vir degebat annorum XXVI. literis deditus, qui in manibus duos tantum habebat digitos, eosque crassissimos, cum parvâ appendice indicis. Elegantissima literarum elementa istis digitis pingebat, & quævis munia angustâ manu obibat. Talem & in oppido vicino vidimus.

Patavii, *Helveto* duo pedis digiti connati erant. *Venetiis* puer sine brachiis omnia pedibus ex terra elevavit, in crumenam stipem reposuit, & pileo obvios salutaturus facilè caput detexit.

Hafniæ alius aridâ manu pedibus cuncta peragebat, securi artificiosè utebatur, &, natura defectum supplente, manibus commodè carere videbatur.

HOMINES PETRIFICATI.

Centuria 2. historia 100. Prima nobis nascendi initia lapides dederunt, si fabuloso credimus seculo, qui tanquam ossa terræ à *Deucaleone* post tergum jacti paulatim animâ caluerunt. Ut repetant ortum, nonnullos in lapidem accepimus conversos. De *Lydiæ* Metallurgis refert [a] *Aristoteles* obstructo ostio, interclusoque spiritu suffocatis, post longi temporis intervallum in lapides mutatos cum vasis, amphoris & liquore in illis contento fuisse extractos. Cui metamorphosi similem narrat *Historia Bavarica*, de qua disserunt [b] *Parens* b. m, *Sennertus*, aliique. Uxori *Lothi Sodomis* egredienti idem contigisse, sacro credimus Codici. Quod per insitum salem procurasse edicti sui vindicem Jehovam B. *Augustinus* divinavit. Idem seculo nostro in *Africa* propè *Tripolin* evenit, ubi certo iræ divinæ argumento oppidum subitanea transmutatione in saxeam duritiem fuit conversum

[a] De adm. aud.

[b] De Mixt. c. 6.

versum, ex quo puer petrificatus, ad *Cardinalem Richelium* transmissus fertur. Ego ligni frustulum in eadem civitate petrefactum in Musæo *Jo. Fr. Habelæ, ordinis Hierosolymitani* Vice Cancellarij, cùm in *Insula Melita* degerem benevolè ab illo exceptus, conspexi. Vidimus *Romæ* in Palatio *Ludovisiorum*, hominem in substantiam lapideam concretum, cujus argumentum ipsa ossa præbent, & costæ, suam adhuc servantes formam. [c] *Panarolus* cranium humanum in mari petræ soliditatem acquisivisse nuper scripsit.

[c] in Fasc. Arcan.

Hæc extra uterum à spiritu quocunque lapidifico sive in terra, sive aquis, sive aëre transmutata facilè assequimur. At in utero fœtum solum solidescere, salvis aliis visceribus, omnem fidem superaret, nisi hi oculi vidissent, hæ manus palpassent. De Lithopædio loquor, seu infante petrefacto, qui *Agendici Senonum* post 28. annorum moram ex utero matris *Columbæ Chatry* fuit exsectus. De historiæ fide testantur [d] *Thuanus*, [e] *Paræus*, *Albosius* & *Simon Provancherius* ambo in sectione præsentes, [f] *Licetus*, [g] *L. Bourgesia* obstetrix Reg. Franc. quæ vidit exsectum. Data verò industria descripsit *Albosius* singulari Diatriba, & [h] *Thuanus* gravissimus Historicus, quem solum hìc loquentem introducam.

[d] lib. 17. hist.
[e] lib. 25. de monstr. cap. 11.
[f] lib. 2. Monstr. cap. 52.
[g] In obs. p. 102.
[h] Lib. 17. hist.

1582. Anno millesimo quingentesimo octuagesimo secundo, res incidit quò magis mira, eò minus fidei apud posteros habitura, nisi certissimis veritatis testimoniis niteretur; quam quia pro comperto habemus, hoc loco, ne in dubium olim revocetur, amplius asseri officij nostri & instituti esse duxi. Mulier quædam *Agendici Senonum*, quæ *Celticæ* nostræ est metropolis Archiepiscopali dignitate ornata

Columba

Columba Charria nomine, *Ludovico Caritati* sartori nupta, quum ad annum XXXVIII. valetudine integra pervenisset, neque adhuc uterum gestasset, certissima habuit concepti fœtus indicia, menstruis purgationibus non jam ut antea statis temporibus erumpentibus, & frequenti uteri motu jam manifesto, ac tumore lumborum & abdominis paullatim succrescente, mammisque lacte turgentibus: tandem decurso statæ gestationis curriculo, graveis puerperii labores, & alvi tormina experiri cœpit, urina ad aliquot dies suppressa, quæ postea currente veluti alveo magna vi erupit, profuso illo ichore non tam ex vesicæ meatu, quàm ex muliebribus loculis scaturiente, & tunica disrupta unà cum serosis recrementis sanguinis coacti quasi rhombus emersit: ex eo mammæ concidere visæ, & motus infantis aut ignavus, aut nullus, ac labores mulieris tolerabiliores fuere, quæ à ludibrio illius fœturæ totum triennium in lecto decubuit, semper de valetudine adversa, de duritie, de tumore, de torminibus alvi, ac de inutili illo pondere, quod per se mobile pro vario gestantis motu, modò in hanc, modò in illam partem procumbebat, quamdiu vixit, conquesta. Fato post vigesimum octavum gestationis illius annum functæ dissecto abdomine, uterus rugosus apparuit, & versicolor, tactu durus, ac veluti testaceus; sectoque rursus eo vix tandem renitente ad novaculæ aciem, portentosa mole gypsea eductus fœtus benè conformatis membris, ac eodem prorsus quo cæteri positu, cor, cerebrum naturalem habitum servabant, nisi quod ultra modum induruërant, non tamen ut externæ. Hodie adhuc corpusculum illud *Agendici* à prætereuntibus miraculi instar visitur, expers putredinis & teredinis.

Fusiorem actæ rei historiam pertexit *Albosius* qui dextram manum ad carpum inadvertenter abstractam addit, & in alvo matris relictam, præterea dentem inopinanter à quodam contrectante exemptum. Transiit deinde mirandus hic fœtus ad *Parisiensem* mercatorem primarium *Preteseigle*, curiosum rerum rariorum, apud quem vidit obstetrix *Bourgesia:* Hinc ab aurifabro & gemmario *Giliberto Vautron* *Venetias* adsportatus, ubi eadem facie integrum vidi,
1653. & contrectavi. Tandem ex *Italia* migravit ad serenissimum Regem *Danorum Dn.* FRIDERICUM III. Dominum nostrum Clementissimum, qui iterato mihi subjectissimo clementer & videndum, & accuratius examinandum concessit. Ne verò dubitemus eundem fœtum esse petrificatum, quem enixa est *Agendici* nominata mulier, in rei certissimæ fidem tabulæ, & instrumenta contractuum de Lithopædio transmissa fuerunt ad Augustum Regem nostrum, quorum hic summam Regio indultu transcribam.

Ego infra scriptus *Stephanus Carteron* Aurifaber *Parisiensis* fidem facio, transegisse me cum Dn. *Gilleberto Voder* de puero petrefacto quem possideo, qui in *Senonibus* erat, & postea visus in Technicotheca defuncti D^ni *Preteseigle* inter rarissima musæi, quem infantem promitto me traditurum nominato *Gilleberto* aut cuicunque id dederit negocii, cum attestatione sex hominum fide dignorum in Musæo ejusdem *Preteseigle* inventa, & plenè satisfactum mihi esse à laudato Domino pro fœtu isto, sicut inter nos
1628. convenerat. *Venetiis*. XII. *Februarij* MDCXXVIII.

STEPHANUS CARTERON.

Ego Julius Cæsar *de Filippis fui præsens, ut supra.*

Nos

Nos infra signati Cives *Parisienses* testamur & fidem omnibus facimus quorum interest, quod infans petrificatus, quem nunc possidet *Maria Charpentaria*, uxor *Stephani Carteron* Aurifabri *Parisiensis* &c. sit idem fœtus quem mulier *Senonensis* in *Burgundia* utero gestavit per plusculos annos, sicut à defuncto *Ambrosio Paræo* descriptus fuit, sitque idem fœtus petrificatus, quem in Musæo suo defunctus *Predeseigle* inter rarissima sua servaverat. *Parisiis* XXIV. *Martij*, anno millesimo sexcentesimo vigesimo octavo. 1628.

N. de Collemont	*S. Chancer.*
Sacanes Pindamouch.	*Du Mouff.*
Pierre de Couvoust.	*FF. le Proulx*

In oper. Gall. lib. 25. de Monstr. cap. 11.

Figuram Lithopædii *Albosius Hæduus* addidit, sed contractam & in utero adhuc convolutam. [a] *Paræus* majorem dedit propius ad naturam accedentem & extensam. Ego accuratissimam iconem hic substitui ad Regii fœtus exemplum effictam, quam Augusto Regi nostro subjectissimè acceptam refero. In nonnullis enim immutatus fuit fœtus & temporis diuturnitate, & itinerum varietate. Universum corpus justi fœtus magnitudinem, externâque formâ humanum fœtum accuratè exprimit. Ossa hinc inde denudata solida & dura. Interjectæ carnes velut gypseæ & induratæ calci similes. Cutis lacera, dura & nigricans, quæ partem abdominis, thoracis & caput hinc inde tegit. Oculorum orbitæ vacuæ eminentibus ossibus. Maxillæ superioris & inferioris pars dextra ablata, & dentium alveoli vacui, uno solo relicto dente. Humeri os dextrum appen-

ſum corpori nudum, manu deficiente. Siniſtrum brachium à corpore ſolutum, digitos manus complicatos exhibet. Pedes leviter diducti, junctis digitis & concretis, relicto tamen illorum veſtigio.



HERMAPHRODITUS
ſine cute.

Chriſtiani Cerdonis Hafnienſis uxor, conſueto partus termino exſpirante, facili partu enixa eſt *hermaphro-* Centuria 3. hiſtoria 5.

maphroditum, muliebri natura loco solito, virili verò membro supra in pube conspicuo. Alebat præterea infans extremis artubus aliquid monstri. Loco manus extremæ pedes erant, & locum pedis occupabant manus. Adhæc nuda caro comparebat sine cute, cujus ne vestigium quidem in universo corpore conspiciebatur.

MONSTRUM SINE CRANIO.

Centuria 3. Historia 7.

In *Cimbriæ* oppido *Bryns*, territorij *Haderslebiensis*, natum monstrum sexus masculini, primis conjugii parentum annis, in quo nullum cranium visebatur, sed inversum caput, oculis posticam partem occupantibus, lingua exerta. In occipite tamen os triangulare supererat. Nullum collum. Intra oculos posticos carnis cruentæ portio propendebat, ex qua sanguis stillabat. Sinistra manus ad superiora protendebatur exerta, quam si vi deprimeres, sua sponte ad superiora erigebatur. Sex digitis eadem manus ornabatur, ut & sinister pes. Dextra manus retrorsum à corpore flectebatur, quæ vi reducta, ad exteriora sua sponte redibat. In utriusque manus carpo dura adnata erat caro. Corpus reliquum per artus aut ventres distinctum non erat, sed æqualiter sine ullo discrimine à superioribus ad inferiora informe protendebatur. Rubra tamen lineola baltei, seu cinguli instar, medium corpus dividebât.

INFANS HIRSUTUS *& rugosus.*

Centuria 3. Historia 38. Hospita *Hamburgensis* contumaci febre malignâ laborans, dolores partûs sæpius perpessa, tandem infantem enixa est toto corpore hirsutum, pilis digitum longis, rugosâ facie. Triduo elapso omnes pili deciderunt, nec ullæ in facie rugæ comparuerunt.

MONSTRUM SINE OCULIS.

Centuria 3. Historia 47. In oppido *Scaniæ* nostræ *Væ*, natum est monstrum parentibus honestis. Rectè omnia in partu successerant, sed infanti nulli oculi erant. Bregma apertum colore rubicundo patulum. Nasus latus oblongusque, ex quo tumor protendebatur unâ parte osseus, alterâ carneus, cute tectus, sine foraminibus narium. Os latum & deforme. Maxilla superior unico osse constare videbatur. Utraque manus sex digitis aucta, ut & pes sinister. Miserando continuoque ejulatu omnium in se misericordiam vertit donec expiraret.

DUPLEX PENIS.

Centuria 4. Historia 22. Duplex Colis in homine, cætera simplici & perfecto, rarissimè observatus. Quidam tamen *Bononiæ* aliquando dissectus, duplicem penem habuit, ut narrat meus [a] *Parens*. Nuper admodum in *Belgio* puer bimulus publicè spectabatur, optimi habitûs, cui penis geminus erat statim circa primum exortum è pube

[a] Lib. 1. instit. Anat. cap. 24.

pube divisus, magnitudine pro istâ ætate justâ, & sibi prorsus similis, per vices etiam per utrumque, interdum simul urinam reddebat. Testes, scrotum, & cætera omnia nihil à consueto naturæ tenore recessere. Vidit hunc *Priapi* nepotulum eruditissimus *Petrus Schumacherus*, amicus noster, ut in literis ad me testatur.


PUDENDI MULIEBRIS
monstrosa conformatio.

Uxor mercatoris *Bergensis* honesta, annorum triginta sex, primo post celebratas nuptias anno, qui Centuria 5. hist. 9.
1652. erat millesimus sexcentesimus quinquagesimus se-
1653. cundus, abortum paritur, & sequenti anno fœtum mortuum edit. Anno millesimo sexcentesimo quin-
1655. quagesimo quinto tertiùm imprægnata, eodem infelici successu præsente Medico *D. Joh. Frid. Treublero*, amico nostro, cujus fide hæc referuntur, in lucem edit infantem mortuum ferèque putridum, debita tamen lochiorum purgatione sequente. Admonuit maritum vir laudatus, ut à veneris conflictu tam diu abstineret, donec ab omnibus impuritatibus salutari medicamentorum usu liberaretur uxoris uterus. Sed postposito sano consilio, quartùm gravida
1657. x. April. M DC LVII. eadem difficultate, parique miseria infantem enixa est mortuum, capite compresso, & putredine in vertice infantis apparente, unde summus fœtor assidentium nares feriebat. Lochia ritè fluxere: sed secunda post partum die, forsan diætæ errore, in febrem incidit, moriturque. Quærit ex obstetrice *D. Treublerus*, an nihil memoriâ dignum in partium genitalium structura observarit.

Negat

Negat obſtetrix ſe quicquam revelaturam contra datam denatæ fidem. Tandem quum acrius inſtaret, ecce monſtrat cadaver, monſtroſa partium genitalium conformatione ſtupendum, cujus figuram celerrimè expreſſam hanc obtinuit, mihique Vir curioſus cum hiſtoriæ enarratione tranſmiſit. (a) Nempe ex vulva membrana carnoſa, vulvæ labiis internè undique adnata, imò pudendo muliebri circum circa ita connexa, ut inſtar marſupii propenderet. Foramen in principio conſpiciebatur amplius. In congreſſu, ne marito monſtroſa pars innoteſceret, duobus digitis mulier intrudebat ſine moleſtia ulla, ad corporis autem vehementiorem commotionem, aut frequentem deambulationem, longius extra prominebat. Inſtante partu ab obſtetrice interioribus vulvæ parietibus tam aptè affigebatur; ut ne minimum in fœtus egreſſione impedimentum objiceret; foramen enim hujus marſupii poſt intruſionem oſſi pubis adſociatum, tam concinnè dividebatur, ut duabus obſtetricis manibus ſatis amplum relinqueret ſpatium. Non eſſe uteri prolapſum, crebri conceptus teſtantur. Veroſimilius diceres vaginæ eſſe dilatationem, niſi frequentes abortus diſſuaderent. Forſan à nativitate ſuperflua membrana, ſenſim deinde affluentibus humiditatibus intumuit.

(a) Figuram ſequens pagina exhibet.



FIGURÆ EXPLICATIO

A *Pudendum muliebre.*

B *Membrana carnosa*, pudendo muliebri firmiter undique adnexa, in nimia corporis commotione instar marsupii propendens flaccida, iterumque in coïtu partuve ad intrusionem apta.

C *Fora-*

C *Foramen*, quod ad egreſſionem infantis ampliatur, & duabus obſtetricis manibus ſpatium ſatis amplum relinquit.

MONSTRUM SINE BRACHIIS.

Centuria 6. Hiſtoria 39. Pulcherrimis parentibus deformis proles nata *Hafniæ* meâ memoriâ. Carebat brachiis, quorum locum ſolus digitus ſupplebat. Pedes ſine digitorum diſcrimine ſolidi & carnoſi. Oculi ex fronte eminebant. Statim à nativitate natum monſtrum morte & terrâ expiabatur.

MONSTRUM TRICEPS.

Centuria 6. Hiſtoria 49. Publica fama ad nos pertulit, natum in *Sileſiæ* urbe *Drachenberg* A. C. MDCLII. die 22. Aprilis monſtrum horrendum capite triplici, cujus pater fertur ſutor, nomine *Joannis Stein*, mater verò *Catharina*. Medium caput lupinum erat, lingua exerta surſum ſpectans. Dextrum rubicundum, ſineque cute cruentum, humano quidem ſimile, ſed ſceleto ſimilius. In ſiniſtro facies humana clarius emicuit, ſed occipiti & reliquo capiti adnata erat carnea maſſa, rotunda & dura, qua ſurſum elata, in fronte oſſicula cernebantur, veluti in coronis thori, eminentia. Medium caput naturali conſuetoque loco ſitum, dextrum verò ſiniſtrumque ſui lateris axillæ inhærebat, vultubus ad ſe converſis invicem. Manus cute denudatæ viſebantur cruentæ; & hinc inde crucis ſignaturæ rubicundæ pectori femorique adſperſæ. Præſente urbis Senatu fertur *Væ* clamaſſe, futuras mortes prædixiſſe & cœli tempeſtates, moxque expiraſſe.

1652.

MONSTROSA CARO
capiti adnata.

Duæ monſtroſorum infantum in *Dania* noſtra Centuria
1660. A. C. M DC LX. natorum hiſtoriæ ad me pervene- 6 hiſtoria 90.
runt. Suis quidem provinciis diſtincta ſunt monſtra, ſed in figurâ ferè conveniunt. Primum in *Cimbriæ* Diœceſi *Ripenſi* ad me detulit Epiſcopus ibidem vigilantiſſimus *D. Petrus Kragelund*, inſigni eruditione & humanitate inclytus. Alterius in *Selandia* noſtra nati deſcriptionem mihi communicavit Vir Clariſſimus M. *Martinus Cheitomæus* Eccleſiaſtes *Wenſlovienſis* & *Hylleſtedenſis*, amicitia mihi & affinitate junctus. Elegans primi monſtri eſt figura, ſed in capite deformitas quædam notatur, à ſuperciliis enim ad verticem uſque caro cruenta viſitur, figuram phaſeoli ſeu renum humanorum exactè referens, convexa parte frontem ſpectante. Utrinque ad tempora crinium cirrhi dependent. Tribus ſuſpiriis editis nuper natum exſpiravit. Altera ſequioris ſexus in pago *Biſſerup*, filia *Chriſtiërni Ivari*, magnitudine vix xx. hebdomadarum abortum æquabat. Oculi tamen juglandibus æquales, Frons exigua, & ferè nulla, quam supernè inſtar cincinnorum hinc indè tenelli cingebant capilli. Imprimis verò horrendum adſpectu erat occiput, additamento carneo deforme, quod ſpeciem corollarum referabat, quibus comæ defectum mulieres elegantiores reſarciunt, intus cruore refertum. Os parulum utramque dentium ſeriem in gingivis oſtendebat. Caro adnata materiæ indicat ubertatem. Cætera ab ordinario naturæ curſu vix aberrant.

P E-

PETRUS BORELLUS
monstrum singulare hoc modo proponit.

Histor. Medico-Physic. Centuria 2. Observ. 57.

Anno M DC XXVIII. Martii die XII. natum est monstrum biceps in urbe *Villefrancæ Albigensium*, quod ego nunc in musæo meo inter alia multa curiosa à me curiosius asservata habeo. Inter duo capita habet manum probè efformatam, ut & capita, quæ separata omninò sunt. Ab uxore autem *Maurelli* enixum fuit, post novem mensium gestationem solitam, mortuum natum est, & in ejus dissectione corda duo reperta sunt; apertum autem fuit in domo *Bonefoussij* Chirurgi *Albigensis*, visumque fuit ab Illustrissimo *Principe Condæo*, & ab innumeris magnatibus. Omnia reliqua parenchymata & partes probè conformatæ fuerunt, exceptâ spinâ dorsi quæ duplex fuit in superiori parte, crassisque intestinis, quæ solitam conformationem non habuerunt, caruit etiam foramine in podice, & pubis loco caudulam digiti transversi longitudinis habuit. 1628.

a LUDOVICO DE BILS
Dissectum monstrum literis ad *Dn. Ab. Parent* sic exhibet *Franciscus de Raedt* M. D.

Hisce Fœtûs monstrosi descriptionem à Nobiliss. D^no. *Ludovico de Bils* præsentibus D D. *Moermanno* & *me*, Doctoribus, *Ippone Sixto* & *Cornelio de Coning* Chirurgis, dissecti tibi mitto.

Anno M DC LVII. Novemb. XXVII. natus est in 1657. propugnaculo quodam, non procul ab *Ardenburgo*, dicto de *Elderschans*, fœtus quidam monstrosus, vel

potiùs duo in unum combinati, patri quidem nomine *Lieven Wesselinck*, sub signis Centurionis Dⁿⁱ *Leonardi Mogge* militanti, matri vero *Jaquemÿntje Al-de-werelt*, quem nos ut & Nobiliss: *D. de Bils* hujus comperimus fuisse constitutionis, nempè: Capitibus duobus eorumque collis octavam circiter ulnæ partem inter se disjunctis: cujus altera erat formosâ specie facies, omni ex parte æquali proportione constans; altera autem omnino deformis, duobus oculis contingentibus se in ipso quasi oris rictu, sine palpebris, superciliis verò bicoloribus, ubi aliàs oculi locum obtinent. Inter oculos superciliaque virile membrum erat quantitate corporis debitâ proportione. Desiderabantur & nasus & os, verùm sub mento hiatus exiguus. Caput utrumque hirsutum capillis.

Porrò manus quatuor, totidemque brachia comperimus, duo ab altero & altero latere dependentia, duo decussatim à collo inter se implicita, altera manu pronâ, alterâ verò supinâ. Corpus superius duplici erat latitudine infernè decrescens propè umbilicum, unde convenientem deprehendebamus latitudinem, tres de hinc mammillas, utrimque unam loco solito, tertiam autem superiùs inter caput utrumque, unumque umbilicum cum suo ligamine, duobus cruribus, totidemque pedibus, quorum sinister intortus, cæterum parte sua feminei sexûs erat, altitudo semi-ulnæ: verùm ut Clarissimus Vir constitutionem ejus rectius discat, hisce & iconem [a] subjunxi.

[a] *Geminam hujus monstri figuram damus pag. 296 & 298.*

Quod interiorem attinet constitutionem, ventre aperto, reperimus omentum duobus ventriculis, totidemque intestinis junctum; unum à dexterâ, eratque femellæ, alterum verò à sinistrâ, eratque masculi; intestinum femellæ rectum solitâ ad anum perge-

pergebat viâ, masculi autem spinas dorsi intercedebat, atque perforans diaphragma, juxta spinæ vertebras, quod sub mento, petebat foramen.

Oesophagi tàm masculi, quàm femellæ idem diaphragmatis foramen penetrabant, alter os femellæ versus, alter hiatum illum sub mento masculi tendentes; ubi œsophagus rectumque intestinum crassâ membranâ inter se distinguebantur, ita ut natura istud foramen duobus usibus crearit: scilicet, ut per œsophagum ventriculo cibum ingereret, indeque trajecto ventriculo, se ipsum eâdem viâ ab excrementis exoneraret.

Reperimus quoque ingentem pulmonem, cum venâ portæ, fellis folliculo, lobisque quinque, at lienem unum, duos renes, cæterùm reliquas partes femellæ.

In pectore offendimus corda duo cum pericardiis suis, utrobique pulmonem cum duobus lobis, asperisque arteriis: ex ventriculo cordis sinistro tendebat ramus arteriæ magnæ tum femellæ, tum masculi inferiùs; ac ubi accedebant diaphragma, quà illud perforabant, in unum commiscebantur, deorsum porrecti.


Cava tàm masculi quàm femellæ vena ex dextero cordis prodiens ventriculo, diaphragmate perforato coïbat, inque eundem coalescens ductum jecur accedebat.

Cæteri ramusculi assurgentes cum reliquis partibus corporis naturalis constituebant formam.

Aperto masculi capite, obliquam deprehendebamus separationem, parùm utrobique cerebri; in medio supra utrius nervos oculi, ingentem aquæ copiam, nullos tamen ureteres, aut testiculos, vasave

vaſave ſpermatica; ſolummodò in membro virili ductum aliquem cerebrum uſque ingredientem valvulâ quâdam ab aquâ diſtinctum, quæ ſtylo virili membro infixo illo ipſo effluebat.

Cæterùm quod thoracem ſpectat, in eo quatuor deprehendimus claviculas, coſtas quatuor & triginta, dorſi ſpinas duas, os ſacrum unum.




EX-

Explicatio 1. *Tabulæ.*

FIgura hæc anteriorem *Monstrosi Fœtûs* partem cute vestiti exhibet, literæque exteriores notatu dignas partes declarant.

A. A. *Supercilia.*
B. *Membrum virile.*
C. *Oculi.*
D. *Umbilicus.*
E. E. E. *Mammæ.*
F. *Muliebria.*
G. *Anus, vel potius foramen, quo œsophagus rectumque intestinum terminantur, quod videri nequit, quippe sub mento.*
H. *Pes intortus.*



Explicatio secundæ Tabulæ.

FIgura hæc *Monstrosum Fœtum* apertum atque omnem omninò evisceratum exhibet. Literæ lineæque interiorum loca partium in supremis cavitatibus, ventreque repertarum, ut & claviculas duplices.

Ao. *Ca-*

Ao. *Caput femellæ.*
A. A. *Caput maſculi.*
N. N. *Supercilia.*
Xo. *Membrum virile.*
X. *Oculi.*
R. *Anus.*
M. *Inteſtinum rectum abſciſſum.*
G. *Claviculæ duplices.*

Nota. Quæ ſequuntur partes binis inſignitæ literis inventæ ſunt duplices, earumque loca in Figurâ hac utrimque eâdem declarantur literâ.

D. D. 2° *Oeſophagi, duæque arteriæ aſperæ.*
Eo. 2um *Spinarum dorſi ſeparatio.*

A. A. $2^{æ}$ *Vertebræ ſpinæ.*	F. F. 2° *Corda.*
H. H. 2° *Mediaſtina.*	No. No. $2^{æ}$ *Arteriæ magnæ.*
B. B. 12 *Coſtæ ſuperiores*	L. L. $2^{æ}$ *Venæ cavæ.*
C. C. 24 *Coſtæ utrimque*	G. G. 2° *Pericardia.*
E. E. 2° *Pulmones.*	Y. *Diaphragma.*

Partes ſequentes in ventre repertæ ſunt ſimplices, duos præter ventriculos, inteſtinaque duplicia.

Zo. *Hepar.*	1. 1. *Ureteres.*
Z. *Folliculus fellis.*	T. *Veſica urinaria.*
L. *Vena cava.*	2. 2. *Vaſa ſpermatica.*
W. *Vena portæ.*	3. 3. *Teſticuli.*
No. *Arteria Magna.*	V. *Uterus.*
O. O. *Duo Ventriculi.*	M. *Inteſtinum rectum.*
Q. Q. *Inteſtina duplicia.*	5. *Cutis.*
P. *Lien.*	7. *Os Ilium.*
K. *Omentum.*	8. *Os Sacrum.*
S. S. *Renes.*	9. *Muliebria.*

ANTHONIUS EVERARDUS

Monstrosi fœtus historiam admirandam ita pertexit.

1663. VOcatus cum essem hujus anni Februariô mense, quò mulieri gravidæ, partus dolores atroces tunc temporis sustinenti, manus conferrem auxiliares, utique validâ naturâ promovente partum, filium primò sextimestrem, posteà masculum alterum, solummodò medium, ab eâdem illa in lucem ante meum adventum paulò editum, reliquæ mihi feminæ præsentes obtulerunt.

Illectus rei novitate contrecto manibus monstrosum hunc fœtum, ab adstantibus pro carneâ mole duntaxat habitum. Sed quibus, ob indecentem utriusque cruris ad decussim inflexum, omnis adimebatur hujus spectaculi cognitio, iis ad posituram debitam retractis cruribus, hôcque modô virili se denudante membrô, rei præbui notitiam.

Conspiciendus autem exteriùs erat is fœtus, habitâ ratione partium sese in aspectum offerentium, ejusdem cum Germano fratre magnitudinis, ast sine capite, collo, pectore, brachiis; instructum solummodo lumbis atque natibus, quas excepere femora, crura, pedesque; quorum dexter tribus tantum munitus digitis, ac œdematosus admodum ob umbilicum supra genu femur validè comprimentem; sinister autem quatuor digitis consitus, ambo decussatim excurrebant. Aderant etiam podex membrumque virile, ac umbilicalia vasa longô satis itinere placentam uterinam subeuntia, quibus glan-

glandula quædam incubuit. Nullum ullibi os, naſus, vel oculi comparuere; ultima verò lumborum vertebra deſiit in apicem: quæ cuncta feminas ſimul & amicos ad tantam naturæ inſolentiam tantoperè commoverunt, ut iis præſentibus interna luſtrarem viſcera me ſollicitarent.

Et ecce, diſſectô corpuſculô, neque cor, multo minùs pulmones, neque lienem, neque renes, neque veſicam urinariam, neque inteſtina obtegens omentum reperire licuit. Unicum hepar vaſis ſuis inſtructum, & ratione corpuſculi, mole vaſtiſſimum, ac inteſtina pauca, vacua, breviſſimaque, ſuo colligata meſenteriolo, pluresque glandulæ pancreas Aſellij referentes, in peritonæo fuêre recondita. Ventriculus niſi ſuperioris inteſtini pars quædam expanſior craſſiorque apparuit. Cæcum inteſtinum non aderat. Colon ob inciſuras facillimè diſtingui potuit. Rectum imperforatum exſtitit. Jecur veſiculâ felleâ poroque bilario caruit. Quæ cuncta figuris ſequentibus demonſtrare curavimus.




Figura prima fœtum oſtendit in ſitu ſuo naturali.

A. *Glandula magna vaſis incumbens umbilicalibus.*
B. B. *Vaſa umbilicalia.*
C. *Alia glandula parva dictis vaſis adhærens.*
D. *Membrum virile.*
E. *Pes ſiniſter quatuor digitis inſtructus.*
F. *Pes dexter cum tribus ſuis digitis.*
G. *Umbilicalia vaſa dextri pedis femur ſuprà genu fortiter comprimentia.*

Figura ſecunda corpus à tergo conſpiciendum prębet.

A. *Pes ſiniſter ut à tergo viſitur.*
B. *Pes dexter, ejuſque tres digiti.*
C.C. *Ambæ nates.*

Figu-



Figura tertia pedes diſtractos & ad ſitum naturalem compoſitos exhibet.

A. *Lumborum apex.*
B. B. *Abdominis cavitas ac capacitas.*
C. C. *Lumborum vertebræ.*
D. *Membrum virile.*
E. *Pes dexter, ædematoſus admodum.*
F. *Pes ſiniſter.*

Figura quarta interna viſcera demonſtrat.

A. *Corpus hepatis integrum.*
B. B. *Arteriæ duæ.*
C. C. *Duæ venæ.*
D. *Ligamentum umbilicale.*
E. *Progreſſus vaſorum umbilicalium per meſenterium ad placentam uterinam.*
F. F. *Inteſtina cuncta.*
G. *Glandulæ meſenterii magnæ.*

H. H. *Aliæ*

H. H. *Aliæ glandulæ vasa recipientes umbilicalia.*

I. I. *Umbilicus inque eo contenta vasa ut extra abdomen feruntur ad placentam uterinam.*

L. L. *Hepatis duo circumscripti ventriculi, ceu corcula.*

Monstrorum autem origo aliquando Deo, nonnunquam malis angelis, quandoque cœlo, interdum uteri conformationi pravæ, aliquoties disproportioni seminum, non rarò imaginationi vehementi feminarum adscribitur. Sed missis his, ut considerationem peculiarem desiderantibus, quid hoc casu circa mulierem nostram tempore graviditatis acciderit, quæsò videamus.

Hæc igitur, quæ in urbe nostrâ singulis Saturni diebus, carnes in foro vendendas unà cum maritô laniô (ut hic moris est) exponere solet, postquam mendicum quendam prono capite dorsoque super manus & genua incedentem, eum in modum, ut à tergo nil nisi lumbi, clunes, pedesque, ad decussim inflexi viderentur, aliquoties invitâque minervâ conspicata fuisset, post sex mensium prægnationis suæ decursum, ex præposterô lapsu, primò pueri ritè formati, posteà verò monstri, ad commemorati mendici formam externam, passa est abortum. E quibus sanè colligere liceret, hujus monstrosi fœtus generationi mendicum citatum præbuisse caussam, cùm pluries gravidæ sese obtulerit in aspectum, ejusque imaginationem iteratò conturbando, sui causarit aversionem, côque modò terrorem sæpius incusserit.

Terrorem autem circa prægnantes esse summæ efficaciæ, non est quod dubitemus, siquidem inter affectus

fectus animi facilè prædominetur, ac ſpiritus & humores validè concitando, graviſſima ſymptomata, cordis palpitationem, ſenſus motuſque ſuſpenſionem, animi deliquium, epilepſiam, mortemque inopinatam inducat. Hujus ergò paſſionis vehementis cùm gravida prædicta tulerit impetum, quis mentem ejuſque phantaſiam exinde ſummoperè exagitatam non concipiet? id quod demum pro verâ omnis monſtroſitatis occaſione eſt admittendum; ni enim paſſiones animi fortes admodum & intenſæ, ac ex improviſo ſubortæ fuerint, monſtrum generari, vel ſignaturam qualemcunque imprimi fœtui vix audies. Felices itaque mulieres animoſæ, circumſpectæ, robuſtæ, magnanimæ; quæ nec à rebus vilibus nulliuſque momenti deterritæ, nec in rerum quarumcunque faciliùs ac minùs conſideratè tractæ deſiderium, nec depravatis appetitibus detentæ, prædictis incommodis infeſtari non ſolent, malumque aliàs plus quàm ſatis obvium è ſuis familiis prudenter arcêre norunt.

Sed ſignat imaginatio nuda ſæpiſſimè, abſque ullâ ad rem oblatam reflexione, conceptoque terrore, ſcilicet nobis non attendentibus, imo quandoque invitis, ubi turbatâ phantaſiâ turbantur è conſequenti humores & ſpiritus, qui lege circulationis ad partes quaslibet, ac itidem delati versùs uterum, adque receptarum ſpecierum determinationem ſubacti, formatricem dirigendo, vel ſeducendo potiùs, ad admiſſæ ſpeciei normam ipſum fœtum conſtituunt.

Simile, crediderim, citatæ mulieri, gravida cùm eſſet, accidit, quando poſt primogenitum, etiam ſecundum ex annunciatione obſtetricis expectaret, ipſi denunciaretur, filium ſecundogenitum, jam mor-

tuum, aſpectuique minùs acceptum, indecentem proculdubio ex inſoliti cujuſpiam & rei deformis oblatione induiſſe formam, ipſa puerpera reſponderet, mendicum jam dictum ſe quidem aliquoties cum averſatione quâdam aſpexiſſe, ſed non (prout ipſi videbatur) turbatâ phantaſiâ, neque metu quocumque, ut inde fœtui detrimenti quid accideret.

EVERARDUS à SYPESTEYN

Monſtri rariſſimi ULTRAJECTINENSIS *deſcriptionem hanc per literas communicat.*

AD ædes viri cujuſdam honeſti, tabaci mercaturam inter cives *Ultrajectinenſis* exercentis, ſtatua quædam in ſignum venalis herbæ, ut ferè jam ordinarium eſt fieri, collocata erat; repræſentabat hæc *Æthiopem* pilis criſpis brevioribus, labijs craſſis rubicundis, oculis magnis, naſoque complanato præditum, pede uno incurvato ſuppoſito cuidam ligno innitentem, pudenda loca velamento quodam tecta habentem. Adſpexerat hanc ſæpius mulier quædam gravida, *Margaretha van den Berg*, uxor *Adami van Keſteren*, ſartoris, *at non niſi undecim ſeptimanarum ſpatio ante partum*, imo eandem videndi deſiderio ſummo ducta. Tandem juſto tempore, quod fuit III. Octobris Anni M DC LXIII. obſtetrice *Agnetha van Gameren* opem ferente parturienti, peperit monſtroſum hominem, ad aliquot horas à partu aurâ vitali uſum, in templo majore baptizatum, *Elizabethæque* nomine inſignitum. Color huic ex flavo nigricans, qualis ſolet eſſe eorum, qui ex nigritæ & albicantis congreſſu generantur, major tamen



tamen nigredo in partibus corporis ſuperioribus quam inferioribus. Facie tota, labiis, oculis, naribus, *Æthiopi* omnimodo ſimilis erat, niſi quod anteriora verſus, maſſa quædam carnea ſeſe exhiberet, protuberantiis variis ſinubuſque valdè inæqualis. A vertice ad radicem narium, ſupercilia, & tempora ſe extendens. Occipite ob ſummam depreſſionem carere videbatur. Maſſa ſimilis & in regione hypogaſtricâ occurrebat, quæ etiam impediiſſet pudenda adſpicere, ſiquidem adfuiſſent, jam abſentia. Pes ſiniſter incurvatus quoque & quaſi luxatus. Antequam verò moreretur hic infans, carnoſa utraque maſſa rubedinem ſummam contraxit, humiditatem copioſam ſemper de ſe emittens. Eandem hanc hiſtoriam literis ad affinem *D. Andream Friſium* operis hujus editorem XIX. Septemb. M DC LXIV. datis confirmat *D. Joachimus van Schulperoort*, Chirurgus *Ultrajectinenſis* experientiſſimus, ex ore *D. Joannis van Rinckenraat*, Chirurgi itidem in eadem Republica *Ultrajectina* dexterrimi, qui quamdiu in vivis monſtrum hoc fuit, carneæ maſſæ medicamenta convenientia applicavit.

INDEX


Pag. 309.

LECTOR AMICE.

AD finem jam perductum opus cum ejusdem Editori literis offertur duplicis Monstri descriptio; utrumque ob singularem raritatem & excellentiam dignum omni modo visum fuit prægressis adjicere. Primum exhibuit Vir Clarissimus & Excellentissimus Dn^us Michaël Heiland, Philos. & Med. Doct. & in Academiâ Gissensi Professor ordinarius, *editâ disquisitione Medicâ Monstri Hassiaci. Alterum ex Anglia communicavit Vir quidam curiosus, natione* Anglus, *editoris amicus, qui idipsum se vidisse sanctè testatus est.*

MONSTRUM HASSIACUM.

Describit hoc Cl HEILAND *his verbis, Disquisitionis dictæ Cap.* I.

DIe 15 Martii 1664. nascitur in pago *Ulff* propè *Niddam* in *Wedderavia* sito, Patre *Joanne Eysern* viginti quinque circiter annorum, ejusque uxore primipara ejusdem ferè ætatis ob paucitatem sanguinis, aliaque signa relata ad frigidum & siccum tendente temperamento, octavo post factam conceptionem mense infans magnitudinis ulnæ dimidiæ, uno capite, uno trunco, sed quatuor brachiis totidemque cruribus præditus. Caput in calva, capillis atris, digiti articulum circiter longis hirsutum, mole insigne, prominentiis in utroque latere conspicuè protuberantibus. Facies anterior glabra, quoad suas partes sic satis concinna, nisi quod aures externæ antrorsum versus essent nonnihil depressæ. Huic faciei quæ opponebatur Capitis regio, & ipsa quoque ad planitiem aliqualem subsidens, capil-

lis non ita spissis ornabatur, circa flexuram priori jugulo, è diametro oppositam binas exhibens auriculas sibi mutuo oppositas, ita ut helices quidem exteriora, tragi verò interiora respicerent, missis deorsum lobis utrisque. Ad latitudinem digiti transversi superiora versùs observabatur oculus, cum sua palpebra dextra & sinistra. Dextra inquam & sinistra. Efformabant enim ambæ, cætera debitè efformatæ rimam in longitudinem protensam, ita ut alter angulorum, major videlicet, deorsum vergeret, alter verò sursum spectaret. Huic super eminebat exigua distantia exilis quædam verruca pensilis. Inter hanc quasi faciem & oppositam veram interjecta duo occipitia, quibus substratæ diversæ duæ spinæ dorsi, quarum quævis terminabat ad suum os sacrum clunibus hinc inde stipatum. Porro & quælibet facies subjecto suo gaudebat pectore, nec non hoc subsequente abdomine. Atque sic truncus hic ex duobus quasi coagmentatus, unica eaque continua tegebatur cute, nisi quod infra cartilaginem ensiformem utramque retrocedens, cum musculis abdominis admodum exilibus cutis versus dorsum, nudum ostenderet peritonæum, ad cujus superficiem repebant vasa umbilicalia, à minus curiosa obstetrice, vel ruptura vel sectione profundius à corpore divisa. Nullum in abdomine evidens signum differentis sexûs, sed ad utramque saltim pubis regionem, leviusculæ aliquæ protuberantiæ externa uteri labia ruditer exprimebant; in altero præterea perinæo foramen quoddam, stylum mediocrem admittens, cunnum quodammodo repræsentabat. Clunes inter, instar cicatricum aliquarum vestigia quædam foraminibus destituta, podices exprimebant. Extra truncum suo quilibet loco propendebant artus, benè formati, exceptis pedibus qui circa malleolos interiora


Pag. 310

teriora versus distorquebantur. Brachia verò ad summum humerum nigris pilis aliquo modo vestita. Ungues ubivis perfecti.

Peritonæo aperto mox in conspectum se offerebant viscera; Epata nimirum bina, totidemque Lienes. Epati singulo inserta erat sua vena umbilicalis loco debito; quemadmodum & arteriarum Umbilicalium insertio in iliacas erat consuetæ similis. Quodlibet Epar sua gaudebat cysti, fellea, familiari humore referta. Locus in Hypochondriis naturalis, ob magnitudinem tamen, locique angustiam umbilicalem simul regionem occupabant. Magnitudo diversa & Jecinorum & Lienum, ita ut majori Epati qui appositus erat Lien minor esset alteri qui minori Epati ad latus sinistrum adstabat. Quaterna hæc viscera vasis suis debitè donata, medium complectebantur. Ventriculum unicum, eumque angustiorem, cui substratum Pancreas itidem unicum, illudque satis exile, affixum tenuissima membrana fundo ventriculi subnexa, Omentum mentiente; Continua ventriculo Intestina excrementis ferè destituta brevissima, utpote quæ ne quidem longitudinem corpusculi exæquabant; unico anfractu ad inferiora ducebantur, ad pelvim alteram, ubi sine nexu cum partibus vicinis hiabant. in ipsa verò pelvi intestinorum conglomerati gyri, vix tamen longitudinem digiti æquantium hærebant, sine perceptibili itidem connexione cum superioribus.

Crassorum & tenuium differentia minus conspicua. Nexus eorum cum mesenteriolo tenuissimo. Renes in altero quidem corpore bini, loco naturali siti, succenturiatis suis renibus substrati, secundum leges naturæ ritè efformati, deorsum ad pelvim mittentes ureteres, desinentes in substantiam quandam carnosa mem-

brana constantem, magnitudine pisi oblòngati, mucilaginem aliquam candicantem in sua cavitate continentem, quam aperta eructabat: Vesicæ urinariæ respondere eam diceres, cum & ad illius fundum urachi vestigium appositum observaretur. In altero verò corpore unicus saltem Ren, isque dexter cum suo succenturiato quoad omnia perfectus, itidem emittens ureterem inferiora versus, qui propè pelvim quadantenus in aliquam cavitatem ichorem serosum continentem, expandebatur, atque desinebat in corpus exangue ad instar alicujus verrucæ, manifesta cavitate destitutum. Sinister Ren deficiebat, ejusque locum occupaverat succenturiatus justo nonnihil major, vasis ex utroque trunco gaudens. Vasorum spermaticorum nullum vestigium, hinc neque reliquæ partes Generationi inservientes conspiciebantur, nisi quod in altero corpore caruncula quædam ad modum verrucæ pensilis, circa regionem pubis deprehenderetur, ad quam terminabat foramen, ad Perinæum alterum superius descriptum, atque sic uterum aliquem mentiri videbatur. Diaphragmate unum quidem corpus cingebatur, alterum verò eodem destituebatur.

Thorax cavitate unica, duobus sternis, duobus dorsis diametraliter sibi oppositis, atque his ipsis interjectis quatuor costarum seriebus efformatus, duplex continebat Cor, Majus alterum, alterum Minus; Quodlibet suam accipiens venam cavam à sibi substrato epate; Quodlibet propria gaudens arteria aorta, quarũ trunci ascendentes seorsim, nulla intercedente combinatione collum petebant utrumque. Descendentes utriusque aortæ trunci, postquam sese mutuo excepissent, in duos dispescebantur ramos, inferioribus partibus sanguinem à cordibus deferentes. Reliqua utriusque

que cordis ſtructura naturali ex amuſſim conformis. Quin & quodlibet cor propriis circumvallatum erat Pulmonibus in duas partes more ſolito diviſis, quarum quælibet in tres diſtincta erat lobos, atque de cætero ritè erant illi efformati, niſi quod majus qui cingebant Cor lobis eſſent oblongioribus, iisque manifeſto & profundius diviſis.

Larynges duos duplici Arteriæ aſperæ ſuperpoſitos, glanduloſa Thymi corpora duo, eaque non contemnendæ quantitatis ſtipabant, ad jugulum ſita, ſuaque mole thoracis cavitatem occupantia, deſinentia verò ad latera faucium. Iiſdem laryngibus imminebat utrinque uvula ab extremo palato propendens. Inter ambos larynges ferebatur Oeſophagus, cui iidem ad latus dextrum atque ſiniſtrum erant appoſiti.

Ad regionem auricularum poſteriorum inciſione facta, retro fauces exigua quædam cavitas occurrebat, in quam meatus auricularum dictarum in principio quidem diviſi, mox tamen in unum coëuntes deſiiſſe videbantur. Continebat illa Linguam ſubſtantia alteri ſimilem, magnitudine verò & figura admodum differentem; Piſum enim majus ea exprimebat; Cui tamen os Hyoïdes proportione quantitati linguæ reſpondens ſubſternebatur. Oculi ad unum omnes unà cum palpebris ritè efformati, niſi quod poſterioris muſculis nulla obſervato digna pinguedo interjecta. Sed & ejuſdem nervus opticus ad latus dextrum deorſum verſus vergebat.

Cerebri conformationem deprehendere non licuit, ob ſummam ejus flacciditatem, & jam incipientem corruptionem, niſi quòd duplex obſervaretur glandula pituitaria, foramen occupans, quod à binis oſſibus Cuneiformibus, oſſeque Cribriformi conſtituebatur,

faucibus ferè imminens. Duplex nervorum principium fuiſſe ex duplicitate ſpinalis medullæ facilè colligitur. Num verò & Cerebellum duplex fuerit, non potuit obſervari.

Oſſea compages, nonnullas quoque exhibuit ſingulares obſervationes præſertim circa caput, ubi latera appoſita Bregmatis oſſa naturali modo ſe habebant, niſi quod protenderent magis ad utrumque latus extrorſum, ibique dextrorſum pariter & ſiniſtrorſum, ad fundum cranii cum duobus oſſibus Occipitis nectebantur, verſus anteriora verò cum Temporum oſſibus, quæ & ipſa ad anteriora nonnihil deorſum declinabant. A Bregmate porrò eadem Syncipitis oſſa, recto tramite in utroque latere ad angulum uſque ſuperiorem utriuſque ſuturæ Lambdoidéæ jungebantur, cum aliis itidem Syncipitis oſſibus, ad poſteriora ſpectantibus, quæ & ipſa nectebantur iiſdem oſſibus Occipitis, ab altero latere inferius, ſuperius verò atque è diametro ferè oſſium frontalium ſuſcipiebant unicum os, ad bregmatis regionem pollicem tranſverſum latum, aſt inferiora verſus nonnihil anguſtatum. Tribus hiſce oſſibus nonnihil depreſſis, ſubjectum erat aliud os, oſſi petroſo forſan reſpondens, figura ad triangularem accedens, cujus longius latus ſuperiora ſpectabat, coarctando ſeſe inferiora verſus ad meatus uſque auricularum appoſitarum, quæ utut membranaceæ inferiorem angulum quaſi diſſecabant. Idem os in medio ferè ſui exhibebat proceſſum exilem ſtyliformem, ſurſum verſus tendentem: Huic oſſi unà cum duobus ſyncipitis & uno frontis oſſe, inſculpta erat oculi poſterioris orbita, à ſupernis deorſum ad interioria vergens. Oſſa duo Cuneiformia ad interiora porrecta, cum oſſe Cribriformi foramen rotundum ad magnitudinem piſi minoris

noris constituebant, vertici diametraliter oppositum. Cuneiformium ossium alterum quidem processibus Pterygoidibus gaudebat, alterum iisdem destituebatur. Os cribriforme unum, quemadmodum & utriusque Maxilla ossa singula. Reliqua verò ossa substrata Capiti ad unum omnia duplicia, Spina dorsi duplex sibi opposita. Utriusque porro spinæ Vertebra prima destituebatur portione sui corporis, quod à tuberculo sinuato occiput suscipiente, hinc quidem sinistro, illinc verò dextro ad posteriora dirigitur; atque sic neutra integrum constituebat circulum. Thoracis vertebræ in altero quidem corpore numerabantur undecim, in altero duodecim. Lumbalium vertebrarum ultima insigni foramine patebat, ipsius processu spinoso dehiscente. Quemadmodum & iidem ossis Sacri processus amplè distabant, ita ut medulla spinalis huc terminans, desinebat in abscessum aliquem sanguine ichoroso perfusum. Ossa pubis & ipsa in utroque sceleto, ad latitudinem digiti minimi transversi hiabant. Costarum prima & secunda, dextra unius corporis in medio sui per coalitum junctæ, utrisque tamen extremitatibus separatis,& hinc quidem vertebris suis, illinc verò Sterno nexis. Costæ trium serierum undenæ: Quarta verò lateris sinistri duodenæ. Sternum utrumque cartilagineum, excepto unico ossiculo prope jugulum, quod in altero quidem lentis, in altero verò sesami seminis magnitudinem exæquabat.

Ulteriorem in Monstri hujus causas inquisitionem exhibet Tractatus jam nominatus.

MONSTRUM ANGLICUM.


ANglico stylo exhibitam Monstri hujus historiam sic *Latino* proponimus. Die Mercurij, XXVI. Octobr. Anni M. DC. LXIV. Uxor cujusdam Rustici *Joannis Waterman*, habitantis in parochiâ *Fischerton Anger*, vicinâ *Salisburÿ* Monstrum peperit, cujus hæc descriptio.

Duplici præditum erat capite, brachiis quatuor, sed pedibus duobus. Capita sibi è directo erant obversa, sic ut unum caput pedum locum occuparet. Capiti utrique subjectum corpus in omnibus benè se habebat, usque ad regionem umbilicalem, ubi coalitus utriusque Lumbi, femora, pedesque è latere, illic loci, ubi duo illa corpora unita prodibant; quo loco & discrimen sexus, muliebre pudendum annotabatur.

Apertum Monstrum exhibebat cor, hepar, omniaque viscera, quæ capiti aliàs & umbilico interjacent, duplicata, excepto eo quod Renes tantum duo adessent. Per biduum in vivis erat, alimentoque utebatur duplici ore, lac sugere omninò respuens, plorante uno plorabat & alter, imò actiones omnes unius alter imitabatur. Viderunt Monstrum hoc, novitate rei ducti, plurimi homines non solùm in viciniâ, sed & locis remotioribus degentes.

Eodem partu, quo edidit Mater monstrum hocce, peperit & puellam primò prodeuntem in omnibus benè conformatam, quæ adhuc aurâ vitali utitur.

INDEX


Pag. 316.

INDEX SCRIPTORUM

Veterum, & Recentiorum qui in hoc tractatu de

MONSTRIS

Citantur, & illustrantur.

Qq 3 *Carda-*

INDEX ALPHABETICUS

Rerum notabilium locupletiſſimus,

Ad paginas accommodatus.

B.

D.

Femina

Helio-

Labia

Natu-

O.

P.

Paſſi-

Prodi-

Q.

R.

S.

Ser-

T.

Uni-

Errata ſic reſtituantur à Lectore benevolo.

Pag.	*Linea*	*Errata*	*Lege*
46	28	metdodo	methodo
91	91. 92	uniformi	uniformia
133	11	poſſint	poſſint perſpici
139	11	ſanguinus	ſanguinis
145	3	termerè	temerè
151	15	tandam	tandem
200	4	frequentiſimè	frequentiſſimè
209	7	molliſimum	molliſſimum
230	ultima	ſtroum	ſtrorum
232	21	judicum	Judicium

F I N I S.